MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80667-5

AUTHOR:

TRAUT, HUGO

TITLE:

QUAESTIONES THEOCRITEARUM, I-II

PLACE:

KROTOSCHIN

DATE:

1888-1889

Master Negative #

92-80667-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG92-B37494                  Acquisitions      NYCG-LNF
FIN ID NYCG92-B37494 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B37494               RTYP:a    ST:s    FRN:    MS:    EL:        AD:06-08-92
  CC:9668   BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:        ATC:          UD:06-08-92
  CP:pl      L:lat      INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?       CON:???
  PC:m      PD:1888/1889         REP:?    CPI:?    FSI:?       ILC:????    II:?
  MMD:      OR:     POL:     DM:      RR:          COL:        EML:        GEN:   BSE:
  040       NNC‡cNNC
  100 1     Traut, Hugo.
  245 10    Quaestiones Theocritearum‡h[microform].‡bPars prior, particula II.‡cH.
           Traut.
  260       Krotoschin.‡bDruck von Friedrich A. Kosmal,‡c1888-1889.
  300       29 p., 24 p.
  LDG       ORIG
  QD        06-08-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 MM   REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/19/92   INITIALS MDC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

PART 1

AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202




Centimeter



Inches







QUAESTIONUM THEOCRITEARUM

PARS PRIOR.

Wissenschaftliche Abhandlung

von

H. Traut,
ordentl. Gymnasiallehrer.

Beilage zum XXXIV. Oster-Programm 1888

des

KÖNIGL. WILHELMS-GYMNASIUMS

zu

Krotoschin.

Druck von Friedrich A. Kosmäl in Krotoschin.

1888. Progr.-Nr. 144.

Quaestiones Theocriteae.

Quamquam nonnulla carmina bucolica iam ante ea tempora, quibus Theocritus in vivis erat, cantabantur, tamen nemo ante eum poëta tantam operam impendebat in carmina bucolica componenda, quae non prius quam Theocriti aetate in quodam genere poësis numerata sunt. Hoc ipsum enim genus eis temporibus efflorescebat, quibus Alexandreae plurimi scriptores Graeci opera componebant et vulgi profani animi omnem sensum scriptorum maximorum recte iudicandorum iam exuerant. Atque a saeculi ingenio non modo ceteri poëtae non erant abalienati, sed etiam bucolici Theocrito non excepto temporum suorum opinionibus non liberi erant, quibus scriptores praestantissimi opprimebantur. Similiter vero atque eis, qui animos et mentes summa doctrina iam excoluerunt, pristina adolescentiae studia in desiderium venire solent, hac demum aetate ea carmina, quibus sincerae voluptates vitae pastoriciae celebrantur, a compluribus poëtis conscribuntur Homerique exemplum ad imitandum plurimis locis eis propositum est. Nec mirum, si multo ante nonnulli poëtae exstiterant, quorum scriptis argumenta bucolica continebantur, veluti tertio ante Theocritum saeculo Stesichorus[1]) Himeraeus Daphnidis amorem erga puellam quandam habitum et interitum herois vitae rusticae Siciliae celebravisse dicitur, illum cantum pastoralem invenisse memoria proditum esse nonnulli veteres scriptores, veluti Diod. IV. 84., commemoraverunt eisque saeculis vixisse, quibus di cum mortalibus versabantur, fabula fuit pastorum Siciliensium. Multorum autem armentorum gregem, quem pascit sub Aetna monte, habet et in idylliis Theocriti amores et deliciae deorum hominumque, longe pulcherrimus, amabilissimus, ingenio praestantissimus omnium pastorum, qui umquam lucem aspexerunt, describitur.

Filius erat Mercurii et cuiusdam nymphae, quae eum infantem in laureto (*δαφνών*) exposuit, qua ex re ei nomen Daphnis datum est, sicuti nympha, quam Apollo amavit et

[1]) cf. Ael. Var. Histor. X. 18.

persecutus est, erga quam Leucippus[1]) quoque, qui ex hoc amore interiit, amorem habuit ab altera non amatus, in daphnen conversa Daphne nominata est. Nymphae autem eum educaverunt et Pan ipse, filius Mercurii et Penelopes (cf. Syr. 1.: *Μακροπτολέμοιο*, q. e. Telemachus, *δὲ μᾶτερ, μαίας ᾿Αντιπέτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα*), syringis inventor, eum tibiis canere edocuit, atque cum Daphnis confidentius promisisset et iuravisset, se vehementi amoris impetui numquam succubiturum esse, Venus iracundia implacabili inflammata effecit, ut, qui se iugum servile illius numquam accepturum esse gloriatus erat, ex amore, quem erga quandam puellam habebat, periret (cf. id. I. vv. 140 sq.: *χὠ Δάφνις ἔβα ῥόον*, scil. Acherontis.[2]) *ἔκλυσε δίνα τὸν Μοίσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ*). Qui Daphnis in carminibus Theocriteis nominatim commemoratur plurimis locis. Alii pastori idem nomen Daphnis inditum est id. XXVII. 41.: *Δάφνις ἐγώ, Λυκίδας ιε πατήρ, μήτηρ δὲ Νομαίη*. Quod Musarum Nympharumque amicus Lycidae versiculis, qui in id. VII. insunt, celebratur, opinatur Fritzsch. Daphnidem, quem quaedam puella (non illa nympha fontana id. VIII. 93.) affatur *Σατυρίσκε* id. XXVII. vv 3. et 48., a quodam poëta, qui Theocritum Bionem Moschum imitatur, nominari Lycidae filium.[3])

Praeclarissimus autem poëta bucolicus antiquitatis, qui primus poësim bucolicam in ordinem ceterorum generum artis poëticae redegit et cuius carmina bucolica, in quibus conscribendis omnem curam atque operam posuit, a nullo poëta bucolico superata sunt, fuit Theocritus, cuius laureae Vergilius erat frustra cupidissimus, nam eius pastores sunt Romani larvas pastoricias gerentes neque ea sentiunt atque cogitant, quae solent sentire atque cogitare veriores pastores Theocritei. Quoniam quidem etiam id. VII. huius poëtae v. d. alii animorum iudiciis repudiaverunt alii summis laudibus affecerunt, quorum iudicia et Heinsii commemoramus, qui hanc eclogam eclogarum reginam nominavit, et Greveri, qui de cantu Simichidae (vv. 96.—128.) eius carminis has cogitationes suis litteris mandavit: Wenn dies das beste Lied des Simichidas ist, so verlangt mich nicht, sein schlechtestes zu kennen. Die ganze Stelle ist sinnloses Geschwätz, das den, der verurteilt würde, es zu entziffern, wahnsinnig machen könnte (!)[4]), ne id quidem miramur, quod Cobet., ille codicum iudex peritissimus, Theocriteorum verborum delectum esse vitiosum et temerarium contendit, cum G. Hermannus in scholis Theocriteis (opusc. VII. p. 78.)[5]) magis criticis et interpretibus crimini daret, quod parum intellexissent hunc poëtam.

---

[1]) cf Paus. VIII. 20. [2]) cf. Catull. LXV. vv. 5. sq.: namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris pallidulum manans adluit unda pedem. [3]) cf. Fritzsch. Theocr. idyll. p. 213.: (Daphnis) satus est homine, cui — si quid video — Lycidae nomen (v. 41.) auctor carminis indidit propter Theocriti septimum idyllium. [4]) Grever. kleine Beiträge z. Erklärung und Kritik der Idyll. Theocr., ad id. VII. vv. 96. sqq. [5]) cf. haec verba G. Hermanni: Theocritum eum scriptorem esse, in quem, si ullum in alium, vel criticorum temeritas et petulantia, vel levitas atque inscitia interpretum usque adhuc ita grassatae sint, ut vix potuerint magis, neminem latere arbitror, qui eius carminum editiones cognitas habeat.

I. De nomine Theocriti.

κατὰ γοῦν τινὰς Μόσχος καλούμενος Θεόκριτος ὕστερον ὠνομάσθη (Theocr. vit. A., Ahr. Bucol. Gr. II. p. 2.). *Ὕστερον* in plurimis codd. deest et pro *ὠνομάσθη* est vulgat. *ἐπεκλήθη* (cf. Westerm. biogr. p. 185. 46.).

Quaerendum est, utrum haec verba significent, Theocrito Moschum an Moscho Theocritum nomen esse inditum.

Si posterior sententia recte se habet, qui opinatur, hanc rem ab auctore procul dubio parum dilucide explicatam esse, conatur fortasse eam interpretando explanare, cum confirmet, quod non licet dubitare sed quod animos omnium v. d. probabilitate percutit, idyllia triginta, quae nomen traxerunt a Theocrito, non omnia ab hoc poëta esse composita, ea autem ei ascripta esse, quod longe praestantissimus auctor talium carminum fuit, non igitur significatos esse poëtas sed eorum carmina in eis verbis, quae supra commemoravimus, neque ullam alteram eis merito posse subici interpretationem, unde colligendum sit, nonnulla carmina, quae falso Theocrito ascribantur, esse Moschea. Cui opinioni, credo, eam ob causam assentiri parum licet, quod habemus carmina nemini nisi Moscho ascripta, cum cetera carmina Moschea Europa Amor fugitivus Epitaphius Bionis Megara re vera aut ei aut Theocrito in codicibus quibusdam adsignata sint. Accedit quod compluribus poëtis idyllia triginta, quae Theocrito tributa sunt, esse ascribenda videntur, sed nulli scriptori nomen Theocriti nostri inditum est nisi Moscho. Atque opinio esse perversa videtur, verisimile esse a grammatico Graeco Artemidoro, auctore operum, quae inscribuntur *γλῶσσαι ὀψαρτυτικαί* et *περὶ Δωρίδος*, Pseudaristophaneo (cf. Westerm. p. 362.), carmina Theocritea omnia in unius poëtae opera coaluisse. Hauler. (de Theocr. vita et carminibus p. 32.) autem existimavit, Artemidorum non modo Theocriti sed etiam Bionis et Moschi omnia in unum corpus et collegisse et disposuisse, postquam Wuestemann. (Theocr. reliquiae p. XXII.) coniecit, Artemidorum fortasse Stesichoro quoque Philetae aliis hoc operae praestitisse, cf. epigr. XXVI.: *Ἀρτεμιδώρου τοῦ γραμματικοῦ ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων· Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ᾽ ἅμα πᾶσαι ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας*, quibus ex verbis concludendum est, nisi me fallit, Artemidorum nisi bucolica non modo Theocriti sed etiam Bionis et Moschi nulla carmina collegisse. Sed Fritzsch., qui ad eius epigrammatis verba opinionem suam magis quam Wuestemann. et Hauler. accommodavit, arbitratus Artemidorum grammaticum nulla nisi carmina bucolica Theocriti collegisse, quae sint idd. I. III.—VIII., id. IX. pars, idd. X.—XI.[1]), quam ad collectionem fortasse referendus sit postremus versus epigr. XXII.:

---

[1]) cf. Fritzsch Theocr. Idyllen p. 30.

Μοῦσαν δ'ὀθνείαν οὔτιν' ἐφειλκυσάμην, quod in cod. k est secundum epigr. XXVI. ei grammatico dilucide adsignatum, affirmavit Artemidorum non commemorans, illa verba supra laudata eis temporibus scripta esse, „quibus Moschi ac Bionis carmina cum Theocriteis collecta uno iam volumine comprehendebantur, neglectis autem auctorum nominibus eiusdem collectionis carmina modo ad eum cui plurima debebantur auctorem referebantur, modo diversis poëtis tribuebantur." [1]) Neque vero ea ratio, qua Fritzsch. usus est, eius controversiae dissolvendae, quae oritur verbis supra commemoratis, potest probari, nisi concedimus, ea verba, quae Moscho nomen Theocriti imponunt, orta esse eis temporibus, quibus in illorum carminum collectorum numero non erant carmina, nisi Moschi et unius alterius poëtae, Theocriti. Id quidem concedendum est, eo facilius Moscho nomen Theocrito dari potuisse, quo minora opera illius antiquissimis temporibus exstiterint. Fritzsch. autem antiquissimis temporibus minima carmina eius esse conservata suspicatus est, quam coniecturam ex hisce verbis veteris investigatoris fecit in Anthol. Palat. IX. 440. servatis: *οὔτε τὸν χρόνον καθ' ὃν ἦν ὁ Μόσχος γινώσκω οὔτε ποιήμασιν αὐτοῦ ἑτέροις ἐνέτυχον* [2]). Nullius vero momenti esse opinor, quod Fritzsch. hunc locum paulo audacius interpretatus est.

Sed cum Fritzsch. ipse l. l. de eis temporibus cogitet, quae ignota sunt, quibus non modo carmina Moschi et Theocriti sed etiam Bionei uno volumine iam comprehensa sunt, quaerendum est, num consentaneum sit, si arbitramur, carmina Moschea non in numero carminum Theocriteorum esse habita, antequam illorum trium poëtarum bucolicorum opera in unum volumen iam collecta sint, ut Fr. opinatur, nusquam legi, vel Bioni nomen Theocrito datum esse vel carmina Bionea nominata esse Theocritea. Quae cum nusquam legantur, illo modo intellegi posse nego, quamobrem Moschus nomen e poëtae nostri carminibus traxerit.

Hempel. [3]) autem opinatur, ex illis verbis supra commemoratis elucere non Moschum nomine Theocritum sed Theocritum cognomine Moschum appellatum esse atque id factum esse multo antiquioribus temporibus, quam postquam carmina Theocriti Bionis Moschi poetae bucolici, qui dicatur, quem umquam exstitisse infitiatur, in unum corpus collecta fuerint.

Atque profecto de fide codd., quibus continentur carmina in ipsis Moscho adsignata, admodum dubitatum est. Cum procul dubio longe plurima idyllia poëtae nostri esse genuina contendere liceat, in quibusdam codd., in quibus insunt carmina Moschea, adeo saepe in dubium vocatur, utrum ea sint Moschi an Theocriti, ut Ahrens. carminum ma-

[1]) cf. Fritzsch. Th. idyll. p. 4. [2]) cf. Ahr. Buc. Graec. II. p. 440. [3]) Hempel. Quaestiones Theocriteae p. 32.

iorum duo modo, quae inscribuntur Europa et Amor fugitivus, Moscho vindicet, ut quis profecto opinetur, tertium poëtam bucolicum Moschum numquam exstitisse, quoniam num haec duo carmina esse Moschea in quibusdam codd. in dubium venit.

Tertii autem carminis, quod inscribitur Epitaphius Bionis et quod elegantissima luxuria esse conscriptum Valckenaer. arbitratus est, auctor procul dubio Moschus non est, qui a Suida s. v. *Μόσχος* Syracusanus dicatur (Hempel. id ideo factum esse, quia Theocritus Syracusis natus sit, [1]) iudicat), cum vv. 100. sqq. haec verba legantur: *αὐτὰρ ἐγώ τοι Αὐσονικᾶς ὀδύνας μέλπω μέλος, οὐ ξένος ᾠδᾶς βουκολικᾶς* (Meinek.). Nam quod nomen *Σικελικὸν πέλαγος* et latius patens significat *Ἰόνιον πέλαγος* [2]) et angustius valens significat *Αὐσόνιον πέλαγος*, [3]) partem maris Tyrrheni, an sit nullius momenti in ea re, quae in quaestionem vocatur, dubito, cum praesertim Strabo (V. 3. 6.) haec protulerit: *τῶν δ' Αὐσόνων οὐδ' ἅπαξ οἰκησάντων ἐπὶ τῇ Σικελικῇ θαλάττῃ, τὸ πέλαγος ὅμως Αὐσόνιον καλεῖται.*

Praeterea eam ob causam negandum est, Moschum esse auctorem huius carminis, quia e v. 100.: *ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος· αὐτὰρ ἐγώ τοι κτλ.* sequitur, Bionem Theocritum auctorem ipsum fuisse aequales. At Suidas s. v. *Μόσχος* memoriae tradidit, Moschum bucolicum poëtam (cf. Westerm. p. 185.), cuius ne unum quidem carmen bucolicum nobis conservatum est, fuisse Aristarchi vel amicum vel discipulum (*γνώριμον*). Quae si ita sunt, c. ol. 156. (a. $\frac{156.}{153.}$ a. Chr. n.) in vivis fuit. Quibus ipsis quidem de difficultatibus quispiam minus laboret, qui existimat, non oportere nimis confidere illis verbis Suidae, quem inter omnes constat „mortalium ineptissimum" non diligenter neque accurate, sed dissolute et dementer plurimos auctores saepissime transscripsisse, aut qui affirmat, huius carminis non modo vv. 94.—99., qui in compluribus codd. desunt neque aetate recentiore lecti sunt ante editionem a Marco Musuro in medium prolatam, qui eos minime ipse condidit a Mureto posterioribus temporibus in cod. pervetusto Romae lectos, sed etiam vv. 100.—104. esse spurios. Etenim poëtarum commemoratorum Hesiodi Pindari Alcaei Anacreontis Archilochi Sapphus nomina poëtae cuidam mentem fortasse iniecerunt, ut poëtas multo posteriore aetate viventes attulerit Siceliden Samium, cui nomen fuit Asclepiades (cf. id. VII. 40.), Lycidam amicum Theocriti Cydonicum (cf. id. VII. 13.), Philetam (cf. id. VII. 40.), Theocritum, se ipsum, qui in vivis sunt, cum Bion iam mortuus est. Poëta autem ille ignotus de se ipso haec praedicat (vv. 102. sqq.): *ἄντε διδάξαο σεῖο μαθητάς, κλαρονόμος μώσας, τᾶς Δωρίδος· ᾇ με γεραίρων* [4]) *ἄλλοις μὲν τεὸν ὄλβον, ἐμοὶ δ' ἀπέλειπες ἀοιδάν.* Si igitur vv. 100.—104. a Moscho conditos esse infitiemur, reli-

[1]) Hemp. p. 34. [2]) cf. Thuc. IV. 53. [3]) cf. Strabo II. 5. 20. [4]) cf. id. VII. 94.

quam partem eius carminis huic poëtae fortasse vindicemus, neque vero contendere licet, populum Ausonum, quos Aristoteles Strabo al. natos esse in Italia inferiore commemoraverunt, ullum locum Siciliae insulae incoluisse, atque poëtae, veluti Vergilius [1]) et Statius [2]), utuntur nomine Ausonia, quo significent totam Italiam. Atqui Hartung. ex illis versibus coniecturam fecit, Moschum, cum hoc carmen conscripserit, habitavisse in Italia. Quam opinionem admodum labefactavisse Hempel. videtur, qui recte iudicat [3]), non esse credibile, Moschum, cum hoc carmen scripserit, ibi habitavisse, cum in antecedentibus semper poëtarum patria (Theocriti quoque Syracusani) nominetur et, quod maxime urgendum sit, auctor hoc loco gravissimo illo *αὐτὰρ ἐγώ τοι κτέ.* se ex Ausonia ortum Theocrito Syracusis nato opponat. Quibus verbis nemo est quin assentiatur, nam ex ea re, quod urbes patriae, in quibus nati sunt Hesiodus Anacreon Archilochus, et terrae, in quibus nati sunt Pindarus et Alcaeus, commemorantur, concludendum est, et patriam urbem [4]) Theocriti et terram, in qua ille ignotus poëta in lucem editus sit, allatas esse, si modo is poëta, qui adiecit vv. 100.—104. aliis versibus non a se ipso conditis, eodem modo terram suam et urbem patriam nostri poëtae afferre perrexit, vel illi versus ab auctore reliquae partis eius carminis conscripti sunt.

Cuius ipsius quidem sententiae ut perseverantiam retinere liceat, videtur fieri non posse, quin cum Ahrens. vv. 94.—99. esse spurios iudicemus, neque enim merito concedi videtur de nullis terris vel urbibus nisi de eis, in quibus illi poëtae nati sint, h. l. posse cogitari, si Philetas dicitur in lucem editus esse *ἐν πολίταις Τριοπίδαις ποταμῷ παρ' Ἄλεντι* [5]). Quibus verbis clarissimis rebus tenebrae obduci videntur. Neque vero tenuissima adhuc dubitatio in medium prolata est, quin Philetas in insula Co natus sit (cf. eius vit. ap. Westerm. p. 116.: *Φιλητᾶς Κῶος* et Snow. Theocr. p. 140.: Philetas was a native of Cos) vel in insula Rhodo [6]).

Atque illi rei magnam desperationem afferre videtur, quod Triopium promunturium Cariae apud Cnidum eminet, ubi cum Neptunus et Nymphae tum Apollo [7]) culti sunt, qui Triopius quoque eam ob causam nominatur, et ubi oppida Dorica sacra societatis Doricae propria habuerunt, cf. Theocr. id. XVII. 68.: *ἐν δὲ μιᾷ τιμᾷ Τρίοπος* (e coniect. Stephani scr. pro *Τρίοπον) καταθεῖο κολώναν*, quem ad locum Fritzsch. haec adnotavit: Cnidi promontorium, ubi fanum Apollinis Triopii celeberrimum et sollemnia a Ptolemaeo [8]) miro honore culta.

[1]) cf. Aen. XI. 58. [2]) cf. Silv. I. 2. 76. [3]) Hempel. pp. 36. sq. adn. 2. [4]) Inde igitur efficitur, quicumque eos versus condidit, non aliter atque permultos alios veteres scriptores eum esse opinatum, et Theocritum Syracusis natum esse et Sappho Mytilenis natam esse (cf. eius vit. ap. Westerm. p. 111.). [5]) cf. Mosch. III. v. 99. [6]) cf. schol. id. VII. 40. [7]) cf. schol. id. XVII. vv. 68. sq. [8]) cf. Ahr. II. p. 421.

At cives Coos illo loco Moscheo nominatos esse *πολίτας Τριοπίδας* puto, quod *Τρίοψ*, Phorbantis filius, *βασιλεὺς ἦν τῆς Κῶ, ἀφ' οὗ τὸ ἀκρωτήριον ὠνόμασται τῆς Κνίδου* [1]).

Quid autem dicam esse parum verisimile, a quodam poëta adiectos esse vv. 94.—104.? quamquam illud iudicium fortasse eo probatur, quod vv. 86.—93. loca et terrae admodum maerentia commemorantur, vv. 94.—104. viri summo dolore affecti. An eum alterum poëtam, qui illos versus fortasse addidit, laudibus efferamus, quoniam in Epitaphio poëtae bucolici optime describi, quomodo Sicelides, Lycidas, Philetas, Theocritus, ipse acerbo luctu carissimum caput prosequantur, etiam aptius quam quomodo Ascra, silvae Boeotiae, Lesbos, Teos, Paros, Mytilenae luctu contabescant, ad animum eius acciderit? Sint quidem, qui id arbitrentur, sed mihi cum Ahrens. et aliis persuasum est, non a Moscho conscriptum esse Epitaphium Bionis, sed ab eo poëta, qui ipse quidem non vv. 94.—99., qui de Theocriti id. VII. esse deprompti videntur, sed vv. 100.—104. composuit. Quod si negetur, sententia remittenda est, Moschum floruisse Ptolemaeo VI. Philometore regnante (aa. 180.—144., quo a. hic rex interfectus est in pugna haud procul ab Antiochia commissa), quoniam Theocritus aequalis auctoris (cf. v. 100.) est. Sed ne ita quidem Moschus hoc carmen condidisse potest, si modo vv. 100. sqq. ipse condidit, *Αὐσονικᾶς ὀδύνας* poëta. Accedit quod Theocrito ipsi auctori ille Epitaphius Bionis tributus est et in cod. Med. p et in cod. Med. s et in cod. Ambros. c [2]). Neque vero Theocritus id carmen conscripsisse potest, cf. v. 100.. *ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος · αὐτὰρ ἐγώ τοι κτλ.*

Carmen autem Moschi IV., quod inscribitur *Μεγάρα γυνὴ Ἡρακλέους*, esse *ἡρωίνην* Theocriteam opinatur Hempel. [3]), etenim Suidas affirmavit, nostrum poëtam *ἡρωίνας* quoque scripsisse proditum esse [4]), sed ne unum quidem conservatorum carminum Theocr. huic generi ascribendum esse Hempel. arbitratur; quamquam Theocr. id. XVIII., quod inscribitur Helenae epithalamium, in illo genere poësis numerare Hauler. (p. 39.) non dubitat eaque in re in sententiam eius discedo. At hoc quoque idyllium Theocrito ascribitur in cod. Vat. 18. [5]) Atque quod attinet ad illa quattuor poëmatia, eorum tria Stobaei opera in Florilegio memoria ac litteris prodita sunt *ἐκ τῶν Μόσχου βουκολικῶν*, quamvis ne unum quidem eorum in numero carminum bucolicorum haberi possit. Denique eorum poëmatiorum quartum, in quo describitur, quomodo Amor aret, legitur in Anthol Graec. I. p. 201. (Jac.). De quibus versiculis, quos ipsos quoque Theocriteos significare est institutae dissertationis Hempel., hic v. d. nulla verba nisi haec facit (p. 40.): carmen VIII. epigr. est in Amorem arantem, sed iam id computat, quod ad significationem verborum supra commemoratorum relatum vult, quae ita interpretatur: Theo-

[1]) cf. schol. id. XVII. vv. 68. sq. [2]) cf. Ziegler. Theocr. carmina pp. V. VI. VII. [3]) Hemp. p. 35. [4]) cf. Westerm. p. 185. ll. 50. sqq. [5]) Ziegler p. V.

-critus ab aequalibus *Μόσχος* appellatus est, ut designarent carminum bucolicorum auctorem: ut hoc cognomine eum appellarent commoti sunt ipsius verbis, e. g. his: IX. 7. (6. Mein.): *ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς, ἁδὺ δὲ χἀ σῦριγξ χὠ βουκόλος, ἁδὺ δὲ κηγών.* At quomodo aut hoc loco aut locis ei similibus Theocriti aequales commoti esse possint, ut ei cognomen Moscho dederint, procul est a cognitione nostra. Potuit quidem fieri, ut poëtae bucolici non modo cum amicis versantes sed fortasse etiam in quadam vitae consuetudine paulo ampliore quibusdam nominibus induti fuerint, quibus animi revocati sunt ad memoriam aut eorum pastorum, quorum larvas gerentes poëtae saepissime versus cecinerunt, quibus ipsorum vel effecti sunt mores vel vitae felicitas et infelicitas sunt deformatae, aut earum cogitationum, quas habere solent veri pastores, veluti non modo an sub Buci nomine lateat poëta quidam dubito id. X. 38.: *Ἠ καλὰς ἄμμι ποιῶν ἐλελήθη Βοῦκος ἀοιδάς* [1]) sed etiam delitescere quendam poëtam suspicor sub nomine Lyci, Labae filii, amorum puellae Siculae, cui est nomen *Κυνίσκα* (cf. *κυνέω*), cf. id. XIV. 24.: *ἔστι Λύκος, Λύκος ἐστί, Λάβα τῶ γείτονος υἱός* (cf. vv. 30. 31. 47.). Sed etiamsi concedi liceat, ab eis, quorum ad collegium se applicavit poëta noster, ipsum altero nomine nominatum esse, tamen nostro iudicio admodum reprehendendus est Hempel., qui perquam perperam illa verba sit interpretatus. An ea aliter converti possunt, atque Moscho impositum esse vel nomen vel cognomen Theocriti? (cf. Plat. vit. II, Westerm. pp. 388. sq. ll. 21. sq.: *Τύρταμος καλούμενος Θεόφραστος μετεκλήθη.*) Haud quaquam, sed Moschus, qui praeclarissimis carminibus bucolicis conditis, quae ipsa quidem ex oculis iam pridem elapsa sunt, cum nostro poëta gloriam et honorem communicavit, saeculo, postquam Theocritus floruit, nomine Theocriti nominatus, poëtarum bucolicorum praestantissimi, summis honoribus affectus est. Quem sensum existimo inesse in illis verbis supra commemoratis. Immo vero, nisi nobis unum carmen Moscheum conservatum esset aut si illi Schlegel opinioni merito assentiri possemus, qui idyllia Theocriti et carmina Moschea posteritati prodita non admodum inter se differre opinatus est, quod sine ulla dubitatione prorsus negandum est, quoniam Moschi opera, in quibus sincera simplicitas, nativus quidam lepor, color satiricus multorum idylliorum Theocriteorum valde desiderantur, cum his oratione praeter modum decorata et arcessitis dictis discrepant, tamen id quod Hempel. contendit, numquam tertium poëtam bucolicum Moschum exstitisse, non recte ac iure defenderemus.

Quae cum ita sint, id quod Wissowa statuit, egregie errare, qui cum Schlegel. Moschum et Theocritum eiusdem hominis nomina esse contendant, cum umquam poëtam

[1]) cf. quae Fritzsch. procul dubio recte ad id. X. 1. in edit. mai. adnotavit.

bucolicum Moschum exstitisse negent, adhuc rationem reprehendendi perquam difficilem habet [1]).

Age porro cum animo reputemus has duas causas, quas praecipuas praeter ceteras Hempel attulit, ut opinionis suae omnem dubitationem expellat. Primum enim Marianum affert, qui floruit Anastasio Imperatore [2]) (aa. 491—518. p. Chr. n. imperante), et Theocriti metaphrasin versibus 3150 conscripsisse dicitur (*ἔγραψε βιβλία τοσαῦτα, μετάφρασιν Θεοκρίτου ἐν ἰάμβοις ͵γρν΄ κτλ.*, Westerm. p. 109). Numerus autem versuum etiam spuriorum Theocrito ascriptorum est 2906 (cf. Mein. ed. III.), adiectis carmine, quod inscribitur *εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν* et in numero carminum bucolicorum habitum est propter argumenti similitudinem cum Bionis Epitaphio Adonidis intellectam, quod ipsum ut Bioneum e suspicione Camerarii primus edidit Mekerchus, et additis frgm. in Berenicen Syringe epigrammatis etiam epigr. XXV. (ap. Fr.). Hauler. autem haec protulit (pp. 32. sq.): Numerus versuum, quem Theocriti carmina usque ad nostra tempora servata continent, est ad 2800. Inde conclusit hic v. d. sine dubio recte, Marianum plures versus Theocrito ascriptos legisse quam nos, quoniam *μεταφράσεις* Mariani breviores fuerunt quam opera auctorum, et post Marianum intercidisse quendam versuum numerum. Quae cum ita sint, ille poëta, praefectus Romae, fortasse ea legit, quae nobis desunt: exitus id. XXIV. (cf. Mein.), cuius post v. 87. est lacuna, praeter quam id. IV. post v. 32., id. VII. post v. 119., id. XXV. post vv. 84. et 152. et 155., id. XXVII. post v. 44. sunt lacunae. Accedit quod Suidas de permultis carminibus Theocr. mentionem fecit [3]), quae ne aliis quidem artis poëticae generibus addita apud Theocr. legimus, quae omnia Mariani temporibus fortasse lecta sunt, neque vero plures quam versus nobis proditos fragmenti *ἐκ τῆς Βερενίκης* ab Athenaeo servatos verisimile est Marianum legisse.

Quodsi quis Meinekii sententiam de carminibus et genuinis et subditiciis Theocriteis et Moscheis sequatur et Moschi epitaphium Bionis et epigrammata Theocritea in hac computatione omittat, fit numerus versuum 2927 Theocriteorum et Moscheorum, uno et viginti igitur maior quam is, quem paulo superius repperimus. Hempel. autem, qui ipse quoque rationem numerosque habuit, numerum versuum 2953 Theocriteorum sequens Meinek. sententiam de id. genuinis et subditiciis Theocr. habitam et Moscheorum exceptis Moschi Epitaphio Bionis et epigrammatis Theocriteis repperit (p. 43.); nullum igitur horum versuum ab illo Moscho conditum esse et c. ducentos versus Theocriti, cui cognomen Moscho inditum sit, ex oculis post aetatem Mariani elapsos esse iudicat.

Atqui Hempel. ex eo, quod Hauler. contendit, has *μεταφράσεις* Mariani numero

[1]) cf. Westerm. p. 185. ll. 52. sq. [2]) cf. Westerm. p. 109. l. 1. [3]) cf. Westerm. p. 185. ll. 60. sqq.

versuum paulo (!) breviores quam auctorum opera fuisse [1]), suae opinionis defensionem quaesivit. Atque profecto e verbis scriptoris Mariani vitae: *ἔγραψε μετάφρασιν Ἀπολλωνίου τῶν Ἀργοναυτικῶν ἐν ἰάμβοις ͵εχη´* (q. e. 5608), *μετάφρασιν Ἀράτου ἐν ἰάμβοις ͵αρμ´* (q. e. 1140) demonstratur, quoniam Arati opus, quod inscribitur Phaenomena et Diosemea, continet 1154 versus heroicos, Apollonii autem Argonautica 5835, quattuordecim quidem metaphrasin Arati fuisse breviorem, sed pluribus quam ducentis versibus metaphrasin Argonauticorum Apollonii Rhodii fuisse breviorem quam opera auctorum ipsorum.

Quae cum ita sint, illo loco scriptoris Mariani vitae non deducimur a sententia nostra, Marianum conscripsisse metaphrasin Theocriti non Moschi atque plures quam ducentos versus poëtae nostri post Anastasii Imperatoris aetatem intercidisse: nam ne id quidem Hempel. ut concedatur necessario requiritur, Marianum fecisse metaphrasin epigrammatum Theocriteorum.

At caveam ne meam opinionem ad rationem eius quaestionis, quae certe in hac re nullius momenti est, utrum Marianus fecerit metaphrasin etiam epigrammatum Theocr. necne, dirigere videar, quamobrem affirmare malo, cum ed. Meinek. contineantur genuinorum et subditiciorum epigrammatum vv. 138, plures quam trecentos quinquaginta versus Theocr. intercidisse. Sed his ratiunculis nihil demonstratur. Maxime vero rem causamque continet, quod procul dubio etiam nostris annis parum constat, quae idyllia poëtae nostri subditicia sint, quae genuina, quem nodum non expedivit Meinek.

Deinde Hempel. (p. 40.) eis temporibus, quibus Ptolemaei regnaverunt, cognomina in deliciis habita esse commemoravit: quod sine ulla dubitatione recte dictum est, etenim omnes sciunt, versimile esse, Eratosthenem philologum nominatum esse Beta, quoniam nullarum litterarum principem locum obtinuerit, aut fortasse ob eam causam id factum est, quia plurimum litteris vacavit. [2]) Similiter Dionysio, qui laudem satirarum a se conditarum prae se tulit et quo ille Aristophanes Byzantinus praeceptore usus est (*Ἀριστοφάνης Βυζάντιος μαθητὴς Διονυσίου τοῦ Ἰάμβου* [3])), nomen fuit Iambus. Neque aliterCallimachus, qui odium suum adversus Apollonium Rhodium discipulum ingratum antea a se admodum dilectum professus est et prae se tulit, eum nominavit Ibim, cuius rei turpitudinem corporis Apollonii verisimile est causam fuisse, nisi forte alia similitudo eius avis cum discipulo ipsius cognita eum hoc nomen ei dare impulit in carmine ad infamiam eius edito a se ipso, cuius affectionem in illa contentione praebitam ex illo Ovidii carmine eodem modo inscripto et in Romanum quendam condito cogitatione nobis fingere possumus. Couat. autem a Callimacho ideo Apollonium sic appellatum esse statuit, quod

---

[1]) cf. Haul. p. 33. [2]) cf. Hempel. p. 41. adn. 3. [3]) Westerm. p. 362. l. 84.

hic poëta multos locos Callimacheos imitando expresserit: Nous pensons, cependant, qu'il ne faut pas aller si loin, et que si, selon l'analogie et la vraisemblance, la querelle littéraire des deux poètes explique le mot de Callimaque, celui-ci a dû dans l'Ibis, comme dans les autres épigrammes, reprocher à Apollonius le style de son poème, les imitations et les larcins dont il s'était rendu coupable. Or, l'Ibis était un oiseau consacré à Mercure, Dieu des voleurs . . . Peut-être avait-il imité de très près le second livre des Aitia, et pris à Callimaque beaucoup de détails du voyage des Argonautes.[1])

Adde quod Simichidae Paris nomen inditum est a Syringis carminis auctore, qui nominatur Theocritus a Bergkio et in cod. Medic. p[2]), ut alios codd. silentio praeteream, sed verisimilius est, eum fuisse Simmiam Rhodium[3]), qui fortasse fuit aequalis nostri poëtae et fortasse invenit *τεχνοπαίγνια*, genus quoddam metricae dictionis, epigrammata, quae habent figuras quasdam; etiam haec affectatio signo fuit, artem poëticam diuturnitate exstingui: plurimum enim iam quorundam poëtarum intererat, versus diversas longitudines habentes ita componi, ut alio sub alio posito quaedam figurae exorirentur, velut ovum, ala, securis, ara (Dosiades duo carmina composuit, quorum utrumque fere figuram arae habet[4])), quam secundum figuram carmen ipsum inscriptum est *Βωμός*, *᾿Ωόν*, *Πτέρυγες*, *Σύριγξ* al.

Atque in illo carmine Paridis nomen, quod impositum est Simichidae, significare Theocritum opinio est in schol. Palat. a Bergkio editis et Pediasimi[5]), quasi sit *Θεόκριτος* arbiter dearum de pulchritudine certantium. Hic in contrariam partem afferre, nemini nisi ei, qui nominatus sit *Θεο-κρίτης*, illud nomen indui posse, non licet, nam primum veteres scriptores vocum origines rationesque etiam in seriis rebus parum percalluisse inter omnes constat, deinde nomen *ϑεόκριτος*[6]), a deo electus, apud Dosiadem pro *ϑεοκρίτης*, qui est arbiter dearum sc. Paris, legitur. Sed etiam eam ob causam Simichides Paris nominatus esse potest, quoniam ex amore maximam laetitiam voluptatemque saepissime cepit, quod Theocr. idylliis comprobatur et epigr. LIII. (Schneider.) Callimachi, qui ipsum bucolicum poëtam, ut videtur, appellat *τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον* quasi amoribus proniorem, aut eam ob causam, quoniam Paris pastor pulcherrimus habitus est, illud fieri potuit.

Quae cum ita sint, sententiae Hempel. libenter assentimur, eis temporibus, quibus Ptolemaei gubernacula rei publicae Aegyptiorum tractaverunt, cognomina in usum venisse frequentem, sed ea re opinionem nostram confirmari arbitramur, bucolico poëtae Moscho

---

[1]) cf. Couat. la querelle de Callimaque et d' Apollonius de Rhodes (extrait de l' Annuaire de l' Association pour l' encouragement des études grecques en France, Année 1877) p. 27. sq. [2]) cf. Ziegler. p. V. [3]) cf. Westerm. p. 377. [4]) Anthol. Graec. I. pp. 202. et 203. [5]) cf. exitum schol. ap. Callierg. [6]) Anthol. Graec. I. p. 203.

inditum esse nomen Theocrito, quam ipsam rem verba supra laudata coarguunt, quae hoc modo explanamus, Moschum nominatum esse Theocritum, cuius exemplum sibi proposuit ad imitandum haud dissimiliter atque Sophocles, Homerus tragicus, Homeri. Summi vero momenti ad illam sententiam comprobandam puto esse, quod etiam Calpurnio Siculo bucolico poëtae Romano nomen Theocriti in quodam codice impositum est,[1] neque dubito suspicari ob nullam causam Calpurnium cognomine Siculi indutum esse, nisi quod haec insula Theocriti patria habita est.[2]

Neque vero illud demonstratur inde, quoniam in codice quodam legitur de Epitaphio Bionis: *Μόσχου ἢ Θεοκρίτου Σικελιώτου*[3]), sed Moschus Theocritus nominatus est similiter atque Simichides Paris propter similitudines et Moschi cum Theocrito et Simichidae cum Paride intellectas.

Eadem contra valere Theocrito poëtae impositum esse nomen illius poëtae Moschi contendere non licet. Quod sine dubio scholiasta opinatus esset, si verba eius *κατὰ γοῦν τινὰς Μόσχος καλούμενος [ὕστερον] Θεόκριτος ὠνομάσθη* intellegenda essent, quomodo Hempel. ea intellecta voluit, Theocritum nomine Moschi appellatum esse. At illi sententiae assentiri non possumus, nisi forte iudicamus, Moschum vel prioribus annis Theocrito vixisse vel huius aequalem fuisse, atque nisi forte negamus, nostrum poëtam una voce et consensu antiquitatis praestantissimum illorum trium poëtarum bucolicorum esse habitum.

II. De genere Theocriti.

I) *οἱ μὲν αὐτόν φασι Θεόκριτον, καθὸ Σιμιχίδου* (vulg.) *ἦν υἱός, ἢ καθὸ σιμὸς ἦν. οἱ δὲ ἕτερόν τινα τῶν σὺν αὐτῷ καὶ οὐ Θεόκριτον διὰ τὸ Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον.*[4]) *φασὶ δὲ* (sc. *αὐτὸν*) *τὸν τοιοῦτον*[5]) *ἀπὸ πατρίου* (vulg.) *κληθῆναι, Σιμιχίδου τοῦ Περικλέους τῶν Ὀρχομενίων, οἵτινες πολιτείας παρὰ Κῴοις τετυχήκασιν* (schol. id. VII. 21.). At verbis *Σιμιχίδου ἦν υἱός* contraria videntur esse verba vitae A.[6]): *ἔνιοι λέγουσι* (sc. *αὐτὸν*) *πατέρα ἐσχηκέναι Πραξαγόραν* et vitae *ἐκ τῶν Σουίδα*[7]): *Θεόκριτος Πραξαγόρου* et epigr. XXII. 3.: *(ἐγὼ δὲ Θεόκριτος) υἱὸς Πραξαγόραο.*

Atqui cod. L, quem codd. Parisinorum praestantissimum esse Duebner. arbitratus est, pro *πατρίου* praebet *πατρωιοῦ*, pro quo nomine Meinek. (p. 251.) verba *πατρὸς θετοῦ* coniecit. Atque profecto cum, ut hoc unum exemplum proferam, Plato Leg. XI. 929. c. scripserit: *θετὸν υἱὸν ποιήσασθαι*, illa coniectura ista difficultas dissolvitur, cum

[1]) cf. O. Jahn. (A. Persii Flacci satirarum liber, p. XXXI. adnot. 1.): Quodsi Calpurnius in cod. Vindob. vocatur Theocritus Calpurnius, comparandum videtur, quod in codd. quibusdam Persius nominatur Persius Lucilius ct. [2]) cf. Teuffel. Gesch. d. röm. Litter. p. 693. 2. [3]) cf. Abr. I. p. 213. [4]) cf. id. VII. 96. [5]) etiamsi hoc nomen est pars praedicati, articulus adici potest, cf. Plat. Leg. 735. e. [6]) Abr. II. p. 1. [7]) Westerm. p. 185.

iam existimemus, Praxagoram fuisse patrem et Simichiden[1]) nostrum poëtam adoptavisse. Multo autem facilior commutatio Hauleri fuit, qui pro *πατρωιοῦ* scripsit (p. 6.) *πατρῴου*, qua re fere idem verborum sensus, quem Meinek. invenit, exorta est. Neque vero, si concedo poëtam nostrum vitrico usum esse, intellego, quidni, quoniam *υἱός* in verbis huic capiti praescriptis idem atque *πρόγονος*, q. e. privignus, Hauler. opinione sine dubio significat, etiam nomini *πατρωιοῦ* significatio illi nomini respondens inesse possit, nisi forte illa verba separare licet vel non cohaerentia sine ullo iudicio collecta sunt.

Cum autem quasdam difficultates praebeat, quod Simichides filius eodem modo atque Simichides pater nominatus est,[2]) Ahrens.[3]) pro *Σιμιχίδου ἦν υἱός* scripsit *Σιμίχου ἦν υἱός*, quamvis in scholio allato nomen *Σιμίχου* non legatur nisi in cod. Genev. atque in hoc ipso paululo inferius sine ulla dubitatione vitiose idem nomen positum sit pro *Σιμιχίδᾳ* (*μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον*). In vita autem A. (cf. Ahr. II. p. 1.) praebet lectionem *Σιμύχου* cod. Vaticanus nullius pretii, ceteri codd. habent omnes *Σιμιχίδου* vel *Σιμμιχίδου* et pro vocativo *Σιμικίδα* vel *Σιμμιχίδα* in eadem vita lecto *Σιμιχίδα*. Ceterum si cum Ahrens. *Σιμίχου ἦν υἱός* illo loco schol. scribimus, paulo inferius procul dubio magis probandum est illud *Σιμίχου τοῦ Περικλέους*, cum Ahrens. hoc loco Haulerum sequatur scribentem *Σιμιχίδου τοῦ Περικλέους*, attamen de hac re recte admoneat: Idem (Hauler.) pro certo ponit de Theocrito Simichida agi, quamquam scholii, ut traditum est, ordo potius postulat, ut haec ad comitem illum Theocriti referantur.[4]) Atque profecto verba *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον*, si cum verbis postremo loco antecedentibus cohaerent, ad Theocritum referri non possunt, sed magis contextui et continuationi verborum esse consentaneum videtur, si qua mentio de genere cuiusdam Simichidae illata est, qui Theocritus non fuit (cf. verba *καὶ οὐ Θεόκρ. κτλ.*). Quae si ita sunt, nulla res nobis prodita est nisi quendam Simichiden, filium Periclis (vel hunc ipsum), in numero eorum Orchomeniorum habitum esse, qui Co civitate donati sint, atque nostrum Simichiden, non Theocritum, fuisse filium illius Simichidae. Quoquo vero modo haec res se habet, utrum sub Simichide lateat Theocritus necne, si illis verbis habendam esse fidem recte negaremus, scholiasta totus ex fraude et fallaciis constitisset. Sed scholiastam verum dixisse puto atque illa esse commenticia infitior, cum praesertim memoriae proditum sit, Thebanos Orchomenum ol. 103. 2. (a. 367. a. Chr. n.) funditus evertisse, huius urbis viros interfecisse, mulieres liberosque in servitutem addixisse. Haud multo quidem post auctoribus imprimis Atheniensibus, quae strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis denuo exaedificata sunt, sed ol. 108. 3. (a. 346. a. Chr. n.) per patentia ruinis Thebani

[1]) declinavi ubique Simichides, nusquam Simichidas. [2]) Ahr. II. p. 245. ll. 2. sqq. [3]) cf. Ahr. II. p. 244. [4]) cf. Ahr. II. p. 516.

rursus in urbem vaserunt, quae iterum solo aequata est. Atque ille Simichides, qui adolescens in id. VII. commemoratur, non potest is fuisse, qui Orchomeno emigravit, si modo, quod ipsum quidem in dubium venit, quoniam longe alia indole praedita sunt cetera Theocr. carmina bucolica, ubi omnia ex intima vita pastorali deprompta sunt, id. VII. a Theocrito compositum est, poëta bucolico, aequali regum Ptolemaei I. Soteris, Lagi filii, et Ptolemaei II. Philadelphi.

Quodsi id. VII. carminibus epigrammatici Theocriti Chii, Theompi Chii aequalis, cf. Westerm. p. 339. s. v. Theocr.: *Θεόκριτος Χῖος ἀντεπολιτεύσατο Θεοπόμπῳ τῷ ἱστορικῷ*, qui primis annis Ptol. Soter regni adhuc in vivis fuit[1]), adsignatur, Simichides, Periclis filius, in eo personam poëtae fortasse tuetur, quod parum credibile est eam ob causam, quoniam auctore scholiasta Simichides, qui personam gerit in id. VII., filius Simichidae fuit, cuius pater Pericles nominatus est. Atque poëtam Chium quidam investigatores antiquitatis existimaverunt composuisse carmen, quod inscriptum encomium in Ptolemaeum et ab aliis Callimacho ascriptum nostro poëta Coo indignum habendum sit.[2])

Simichiden igitur nostrum filium Simichidae, non Simichi[3]) fuisse sententiam tueri conemur, etenim hoc in scholiis legitur neque fieri potest, quin cum illis verbis supra commemoratis haec verba aliter congruant, quae crimen librariolorum dissolvunt, ipsos illud *Σιμιχίδου ἦν υἱός* perperam memoriae tradidisse, et quae comprobant, illo loco quicquam commutare non licere: *ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς ὢν Σιμιχίδαν ἑαυτὸν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς· καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον ποιητὴν Σικελίδαν καὶ αὐτὸν καλεῖ, παῖδά τινος Σικελίδα λεγομένου τυγχάνοντα. ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ εἰδυλλίῳ τῷ οὕτως λεγομένῳ Αἰπολικῷ καὶ Ποιμενικῷ καὶ τὸν Εὐμήδη υἱὸν ὄντα τοῦ Κρατίδα Κρατίδαν*[4]) *καλεῖ καὶ αὐτόν* (cf. id. V. 134.)[5]). Aliquantum autem interest, utrum, quid scholiasta illo loco scripserit, anquiramus an, quanti ponderis sint illa verba, perscrutemur. Quibus nimium pretium esse constitutum opinionem esse meam contendere audeo. Atque id quidem an pro certo dicam dubito non abhorrere ab ingenio, quo sunt permulti scholiastae, si simile quid ille confirmare voluerit, tamquam si quispiam confirmet, quoniam Pelops fuerit Tantalides, Atreum quoque et Thyestem fuisse Tantalidas. Quacumque quidem ratiocinatione schol. id. VII. 40. haec commemorantur: *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν ἐπιγραμματογράφον. ὥσπερ γὰρ Σιμιχίδαν ἑαυτὸν καλεῖ ὁ Θεόκριτος πατρωνυμικῶς ὡς υἱὸν Σιμιχίδα καὶ τὸν Εὐμήδην Κρατίδαν, υἱὸν ὄντα Κρατίδα, οὕτω καὶ νῦν Σικελίδαν ὀνομάζει τὸν Ἀσκληπιάδην τὸν*

---

[1]) cf. vit. Theop. ap. Westerm. p. 204. ll. 8. sq. [2]) cf. Snow. p. 176.: the poem is decidedly inferior to the general style of Theocritus and has been considered by some critics unworthy to be reckoned among his writings, et Reinhold. de genuin. Th. carm. et suppos. p. 48. [3]) nescio an hic oppidi Siciliensis Centuriparum tyrannum, qui propior est fabulae quam historiae, nomine Simichum olim exstitisse commemorem neque autem inde colligi potest, Simichiden, qui in id. VII. commemoratur, fuisse Siculum. [4]) cf. id. V. 90. [5]) Abr. II. p. 245.

Σάμιον ὡς υἱὸν Σικελίδα. Neque vero, si scholiasta opinatus esset, nomina Simichides Cratides Sicelides poëtis imposita esse, quorum ipsis patribus nulla nisi nomina Simichides Cratides Sicelides fuissent, hoc loco locisque ei similibus illum ubique adiecturum fuisse *πατρωνυμικῶς* puto. Posterioribus autem annis scholiasta recentior ad *Σικελίδαν* adnotavit: *τὸν Σικέλου μὲν υἱόν*, quamquam nescivit, utrum ab illo Sicelo Asclepiades Samius, qui a Theocrito non nomine commemoratur, ut ab avo an proavo an abavo, ut non plura dicam, oriundus an illius filius fuisset. Eodem modo, quod ex id. VII. deprompserunt, nonnulli veteres interpretatores protulerunt, nomen Simichi patri Theocriti inditum esse, at cf. schol. id. III. 8.: *οὐδὲ Σιμιχίδας δύναται ἀπὸ τοῦ σιμὸς εἶναι, ἀλλ' ἀπὸ Σιμίχου πατρωνυμικῶς*, q. l. non dictum est, Simichum fuisse patrem illius Simichidae.

Itaque concedendum est, quod Snow. (p. X.) contendit: the idea of Simichidas being a patronymic evidently arose from Theocritus speaking of himself under that name in Idyll 7, sed existimo, aliquem id, quod monumentis annalium ipsius temporibus mandatum erat, quendam Simichiden in insulam Con immigravisse, ad illud nomen id. VII. recte retulisse recteque ex illo conclusisse, etiam Theocritum Simichiden fuisse, eius igitur Simichidae, quo Theocr. genitus erat, Praxagora, patrem Periclem, avum poëtae nostri, Orchomeno in insulam Con immigravisse. Quodsi nobiscum consideremus, propriorum nominum Boeotiorum exitum *-ιχος* frequentissimum fuisse, etiam verisimilius fit, Boeotiam patrium solum fuisse auctoris gentis Theocriteae. Atque ille Simichides an emigraverit cum urbs iterum deleta sit[1]), dubito, quod ita res omnes optime congruunt.

Sicuti vero non omnes veteres interpretatores inter se consenserunt, Simichiden esse Theocritum, sic nobis quoque concedendum est, fortasse poëtam causis quibusdam adductum quasi in quodam dramate alterum poëtam narrantem fecisse, neque negari potest, nos hodie post eximiam doctissimorum virorum operam atque laborem in hisce nihil accuratius scire posse quam ante saecula multa scholiastas.

In eo autem quispiam offendat, quod in verbis supra commemoratis Periclis filius patronymica significatione Simichides neque nomine proprio nominatus est. Ut ante occupem, quod opponi video, locum Theocriteum afferam, id. XVII. vv. 26. sq.: *ἄμφω* (ambobus et Alexandro et Ptolemaeo) *πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας, ἀμφότεροι δ' ἀριθμεῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα*, ad q. l. scholiasta vetustior adnotavit: *ἀποτείνει εἴς τε τὸν μέγαν Ἀλέξανδρον καὶ εἰς τὸν Πτολεμαῖον· ἀμφότεροι γὰρ ἦσαν ἀφ' Ἡρακλέους* et Meinek.: Heracliden poëta dicit auctorem regii generis Caranum, ut recte statuit Scaliger animadvers. in Euseb. chron. p. 64.; non laudandus tamen poëta, quod Caranum

---

[1]) cf. Hauler. p. 7.

eo nomine designavit, quod de quovis regum Macedoniae dici potuit (n. l. de quolibet Simichide cogitari non potest, sed filius Periclis designatus est): ac fortasse versus excidit, quo Caranus indicatus est. Neque aliter nomen Praxagorae l. n. omissum esse existimare licet aut ad verborum contextum et continuationem, quae fortasse nescimus, illud nomen repeti non oportuisse. Etenim Ahrens. (II. p. 516.) recte suspicatus est, verba *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον* ct. cum verbis postremo loco praecedentibus non cohaerere, de qua re haec protulit: attamen et ipsi mihi probabile videtur, haec (sc. *φασὶ δὲ τὸν* ct.) non cum praecedentibus iungenda esse, sed ex alio antiquo scholio, quod Simichidae nomen de Theocrito interpretaretur, addita. Equidem neque nomen Praxagorae in scholio intercidisse neque illa verba ex alio antiquo scholio deprompta esse non cum ullis verbis nostri scholii cohaerentia conicio, sed verbis *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον* ct. verba *οἱ μὲν αὐτόν φασι ... Σιμιχίδου ἦν υἱός*, nisi me fallit, continuantur.

Atque profecto verba *φασὶ δὲ τὸν τοιοῦτον* ct. cum eis, quae postremo loco praecedunt, non coniungi et conecti praestabilius esse, neque igitur accipi e numero vel comitum vel amicorum poëtae quemquam, qui duxerit genus a filio Periclis, sed Simichiden esse Theocritum ipsum[1]), ex id. VII. vv. 39. sqq. efficitur: *οὐ γάρ πω κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλὸν Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω οὔτε Φιλητᾶν ἀείδων, βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω*, nam parum verisimile est, poëtam haec verba amicum fecisse dicentem, quamvis eis esse dissentanea videantur, quae poëta de se ipso praedicat id. VII. vv. 91.—93.: *Λυκίδα φίλε, πολλὰ μὲν ἄλλα Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν ἀν' ὤρεα βουκολέοντα, ἐσθλά, τά που καὶ Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα κτλ.* [2])

Explicavisse mihi videor, Theocritum privignum Simichi vel Simichidae fuisse, parum esse fixum et statutum, quamobrem an utraque illarum coniecturarum sit maxime dubia nescio, quamquam Fritzsch. ad id. VII. 21. haec adnotavit: Mortuo vero Praxagora Simichus ille Philinam, matrem Theocriti, in matrimonium duxisse et tanto privignum suum amore amplexus esse videtur Theocritum, ut hic pietatis ergo Simichidam sese appellaverit. Ceterum etiamsi Simichiden vel Simichum vitricum fuisse poëtae concedam, intellegere non possum, Simichiden amorem penitus insitum habuisse erga privignum inde colligendum esse, quoniam hic Simichiden se appellaverit.

Itaque, quod Simichides Orchomenius in insulam Con immigravit, Munato

[1]) cf. Reinhold. pp. 33. sq.: Theocritus se ipsum et alterum poëtam, utrumque simulatis nominibus, tamquam pastores, sibi obviam factos, inter viam amice faceteque colloquentes et invicem se canendo delectantes finxit. [2]) Quem ad locum commemoravit Paleius (p. VII.), cum Theocritus fuerit vir elegantissimae doctrinae, vix credibile videri, quod ipse de se sub Simichidae nomine narraverit, eum in montibus boves pascentem scripsisse carmina sua, quae postea in magnam hominum, fortasse ipsius Regis Ptolemaei, existimationem venerint.

non assentior, qui ipse quoque Theocritum a. 221. a Chr. n. vitae cursum nondum confecissse statuit, cf. arg. id. XVII.: *ἁμαρτάνει ὁ Μούνατος εἰς τοὺς χρόνους ἀναβιβάζων τοῦ Θεοκρίτου τὸν Φιλοπάτορα*; quocum Munato prolixe et cumulate in schol. ambigitur. Neque vero nostra aetate inter omnes constat, num ille id vitium commiserit, quod schol. argum. id. III. reprehenditur. Quo in argumento haec leguntur: *τὸ τοῦ ποιητοῦ πρόσωπον οὐκ ἂν εἴη, ὡς ὁ Μούνατός φησιν* (haud perperam sustulerunt comma hoc loco Meinek. et Ahrens., cf. arg. Medic. 37., Ziegl. p. 193.) *ἐκ τοῦ λέγειν τὸν ἐπικωμάζοντα · ἦρά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι*; (id. III. 8.). Quamvis vero licet Munatus recte reprehensus sit, sub caprarii persona latere Theocritum ipsum existimavit, cum Hartung. e caprario huius idyllii Callimachum poëtam faceret. Atque profecto Munato Gebauer. assensus iudicavit, nomen Simichides derivatum esse a *σιμός*, ioculare igitur esse atque forma patronymica statui potest, sicut illud rapacida (Plaut. aul. 2. 7. 8.), et Paleius haec scripsit (cf. eius Theocr. pp. VII. sq.): Simichus fortasse fictum nomen est a simus, formatum ut Amyntichus, Thyonichus, quo simulum sive *Σατυροειδῆ* patrem suum finxerit poëta, utpote inter capros degentem.

Quo non verisimilius est de nomine paulo audacius formato h. l. cogitare (cf. Callim. epigr. XLIX.: *Σῖμος ὁ Μίκκου* et *Σιμικίδα*, Theocr. vit. A. l. 6., cod. Gen.) Ap. Strab. XIV. 2. 19. Simus est medicus Cous et alius Simus XIV. 1. 41. poëta Magnesius, a quo carmina incesta nomen traxerunt *σιμῳδίας*. Denique nomen Simi est Theocr. id. XIV. 53.

Patri autem Theocriti fuit idem nomen atque praeclarissimo medico Coo, qui temporibus Alexandri Magni in vivis fuit, Nicarchi filio, qui cum inde gloriam sibi acquisivit, quod eam artis medicae rationem atque disciplinam excoluit, qua omnes morbi humani a sucis corporum derivantur, tum eo quod primus venas et arterias distinxit, quo posteriore vocabulo venarum contraria significante primus usus est. Atque artem medicam Erasistratum[1]) edocuisse dicitur, Aristotelis nepotem et amicum Niciae Milesii, ad quem idd. XI.[2]) XIII. XXVIII. scripta sunt et qui carminibus conditis[3]) adolescentiae partem contrivit. Quem medicum Niciam amicum nostri poëtae fuisse nemo est, qui nesciat. Itaque illum praeclarissimum medicum Praxagoram fuisse Theocriti patrem iudicaremus, nisi illius pater nominatus esset Nicarchus, et verbis epigr. XXII., in edit. Aldin. Artemidoro grammatico supra commemorato nescio an iniuria ascripti et ab Ahrens. in numero carminum dubiorum et spuriorum poëtae nostri habiti, illa sententia incertissima et

[1]) cf. Appian. Syr. 59. l. 33., quo l. ita convertendum est: Erasistratus animadvertens corpus purum ab omnibus depravatis humoribus. [2]) Ad quod carmen respondit Nicias carmine, cuius primi versus servati sunt (cf. arg. id. XI.). [3]) cf. Anthol. Graec. I. pp. 181.—183.

maxime dubia fieret. Atque epigr. XXII. vv. 1. sqq. sunt verba: *ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα, εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων, υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίνης.* Quamquam vero e verbis *εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν* fortasse concludi potest, Theocritum non patricio loco fuisse natum, patrio certe genere, matre contra patricia, cavendum est, ne, quod Hempel. (p. 7). fecit, mente comprehendamus opinionem, poëtam humili loco esse natum, quippe cum pater eius humili loco natus fuerit. Etenim Polybius saepissime illo *οἱ πολλοί* utitur ad significandos homines, qui non senatorii ordinis sunt (veluti I. 11. 1.). Nonnullae quidem res opinioni, illum medicum fuisse patrem nostri poëtae, favent, attamen an forte fuerit idem nomen patri Theocriti atque illi medico Coo nescio, namque mirum, ni hoc memoriae proditum esset, illo medico, cuius laus longe lateque diffusa fuit, genitum esse poëtam nostrum, si eius filius fuisset.

Ille autem Praxagoras edocuit artem medicam Herophilum atque hic Philinum Coum, qui cum Serapione Alexandrino haereseos empiricae artis medicae auctor fuisse fertur. Cui Philino matrem Theocriti Philinen cognatam fuisse confirmat Hempel. genti Asclepiadarum ascriptam. At quamquam Philinus Asclepiades fuit, tamen non Philine Asclepiadis recte potest adnumerari, nam omnes medici Asclepiadae nominati sunt discipulisque medicarum scholarum clarissimarum, quae fuerunt in insula Co Cnidi al., nomen fuit Asclepiadis. Philinen autem Co natam esse iudicavit Hempel. (p. 11.: commigravit igitur Theocritus puerulus una cum matre in insulam Con, matris patriam.).

II) *Θεόκριτος, ὁ τῶν βουκολικῶν ποιητής, Συρακούσιος ἦν τὸ γένος* (Theocr. vit. A., Ahr. II. p. 1.). *Θεόκριτος Πραξαγόρου καὶ Φιλίνης*[1]), *οἱ δὲ Σιμιχίδου, Συρακούσιος· οἱ δέ φασι Κῷον· μετῴκησε δ'ἐν Συρακούσαις* (vit. *ἐκ τῶν Σουίδα*, Westerm. p. 185.).

Iam veteres scriptores de ea re in utramque partem disputavisse, utrum Theocritus Syracusis an Co natus sit, nemo est, qui nesciat. Atque recte quidem, ni fallor, Fritzsch. eorum partes secutus est, qui poëtam Co natum esse arbitrati sunt, etenim ea argumenta, quae Ameis. contra protulit, non difficiliorem rationem reprehendendi habent, atque ab eis, qui Syracusis natum esse poëtam iudicant, nihil in medium proferri solet nisi id unum, quomodo opinio oriri potuerit, Co esse natum Theocritum, cum non minus facile sit ad demonstrandum, unde colligi potuerit, Syracusis. poëtam in lucem editum esse. Praecipua autem verba illius epigr. XXII.: (*Θεόκρ.*) *εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων* adferri solent, quae tam plane et dilucide repugnent opinioni, Con esse patriam poëtae, ut omnem dubitationem expellant, quin ille Syracusis in lucem editus sit. Hiller. vero, iudicium Theocritum fuisse poëtam Coum esse verisimillimum ex id. VII.

[1]) at cf. Westerm. p. 185. l. 47.

causis non satis ad persuadendum idoneis profluxisse, affirmat; an in urbe Syracusis, quae aliis quoque locis urbs patria eius significetur et ubi procul dubio partem vitae magnam ille degerit, etiam natus sit poëta, dubitat v. d. Agedum si animo concipiam poëtam adulescentem, qui quasi in scenam prodit in id. VII., per longius tempus commoratum esse nisi per totam aetatem usque ad illud tempus Co nomine Simichiden atque quendam Simichiden, filium Periclis, in parvam insulam Con immigravisse, id quidem non iudico, ex vano illud collectum esse, nisi forte scholiasta praeter alias res ementitus est, quendam Simichiden fuisse filium illius Periclis. At Hiller. neque concedit neque negat Theocritum cum eo Simichide, qui emigraverit, necessitudine coniunctum fuisse, atque Philinen Coensibus adnumeratam esse me affirmare non posse non invitus profiteor, attamen hac re, quantum ego perspicio, conici potest, poëtam esse natum Co.

Epigr. VIII. (ap. Ahr.) Theocrito in Anthol. Pal. IX. 600. adsignatum in Epicharmi Coensis statuam scriptum est. Suspicor autem, Coos, qui Syracusis habitabant, poëtae nostro, quippe qui in eodem oppido atque Asclepiades Epicharmus Pythagoricus, medici filius, ipsique ortus esset (at cf. Hempel. p. 12.), mandavisse ut hoc carmen, quod in statua temporibus demum Hieronis II., ni fallor, statuta insculperetur, componeret in eum, qui prima pueritia Co Megaram, in Siciliense oppidum, deductus hoc oppido a Gelone (a. 484. a. Chr. n.) funditus everso Syracusas immigravit, ubi postea Hieronis I., Gelonis fratris, aulae favor inclinavit in comoediae Siciliensis auctorem[1]). Cuius vitae brevis res singulae dissono modo proditae: *Ἐπίχαρμος Τιτύρου ἢ Χιμάρου καὶ Σικίδος, Συρακούσιος... τινὲς δ'αὐτὸν Κῷον ἀνέγραψαν τῶν μετὰ Κάδμου*, qui illo tempore fuerat satrapes Cous, *εἰς Σικελίαν μετοικησάντων*[2]) de verbis posteriori huius capitis parti praescriptis quodam modo admonent atque ad opinionem nostram, Theocritum Co non Syracusis esse natum, fulciendam aliquid valent.

Nomen autem Philini ap. Theocr. legitur id. VII. vv. 105. et 121. (cf. id. II. 115.) et significat puerum quendam, qui in mente Arati videtur consedisse. Cui puero hoc nomen propter verbum *φιλέω* inditum esse atque ap. Theocr. esse ficticium sicuti nomina similia existimo[3]). Co quidem, quo fuit numero incolarum haec insula vel eius caput, saepissime Philini invenitur nomen, quo non modo ille medicus diserte significatur sed etiam vir Cous, qui Olympiae quinquies palmam accepit.[4]) Idem nomen in nummo Coo

[1]) Poëtae poësis bucolicae dramatica quadam forma usi sunt, quae comparari potest cum comoediae Siciliensis. Vitia et virtutes hominum praestantissime Siculorum dramatice deformata sunt a Sophrone, cuius e quodam mimo altera pharmaceutria Thestylis, ancilla Simaethae, deprompta esse fertur (cf. arg. id. II.), at Thestylis est persona muta, quam tantummodo affatur Simaetha, qua ex re, ni fallor, effici videtur, argumentum illius carminis, quod inscribitur Pharmaceutriae, e mimo Sophronis mutuum sumptum esse, cf. Reinhold. p. 28. [2]) Westerm. p. 183. [3]) cf. Fritzsch. ed. mai. p. 237. [4]) cf. Paus. VI. 17. 2.

legitur.[1]) Quoniam igitur in insula tam parva idem nomen saepissime inveniatur, indefieri verisimillimum iudicat Hempel. (p. 8. adn. 3.), illos homines omnes sanguinis vinculo fuisse inter se coniunctos atque Philinen in numero Coorum habitam esse. Quamquam idem nomen in aliis quoque regionibus reperitur, velut usui fuit etiam Athenis (cf. Dem. XXI. 161.), tamen existimo, Philinen fuisse civem Coam, quoniam eius filius, nisi omnia me fallunt, Co in lucem editus est, neque vero contendere licet quodam modo in numero nominum Coorum habendum esse nomen Philini id. II. 115. commemorati, qui familiariter utitur Delphide, qui, Simaethae amator fastosus, Myndius (ib. vv. 29. et 96.) nominatur; hunc quidem Philinum et eum, qui in id. VII. commemoretur, fortasse eosdem esse, suspicatus est Pal.[2]), adversus quam coniecturam Fritzsch. recte disputavit. Etenim haec res discrimen eius quaestionis non facit, utrum mater Theocriti medico Philino cognata fuerit necne. Nego autem poëtam nostrum necessitudinis vinculis cum illo praestantissimo medico, cuius et Serapionis praecepta medica ipsorum aetate fere ubique plurimum valuerunt, coniunctum fuisse, quoniam hoc nusquam memoriae proditum est, quamvis veteres scriptores necessitudines magnorum virorum libentissime commemoraverint.

Atque in tantis dubitationibus perseverantiam sententiae Hempel. retinemus, Theocriti matrem non primum civibus Cois adnumeratam esse, quo tempore novum cum Simicho vel Simichide quodam matrimonium inierit, quoniam bis eam nuptam fuisse infitiati sumus; quamquam illius medici Coi Praxagorae uxor non fuit. Hauler. autem eius maritum Praxagoram cum ea Con fortasse immigravisse suspicatus est. Scripsit enim v. d. (p. 6.): Praxagora Syracusano, qui fortasse ipse iam in Co insula domicilium collocaverat, mortuo, Philina, Theocriti mater, Simichidae illi nupserat, qui secundum scholiastam originem duxit a Pericle Orchomenio. Atque ad illam coniecturam capiendam manifestum est eum ea causa adductum esse, quoniam Co Simichiden et Philinen coepisse esse sibi notos demonstrare voluit.

At illum Praxagoram, Theocr. patrem, inter cives Coos non per postremum tantum vitae spatium vixisse multo simplicius rectiusque contendere posse mihi videor. Etenim ille si Syracusanus genere significatur, haec sententia nullam coniecturam habet, quam sequi possis, nisi quae nititur testimoniis veteribus, secundum quae filius eius genere Syracusanus fuisse dicitur. Atque profecto hic Syracusanus fuit, si modo in loco patriae habuit Siciliam[3]), ubi primum nomine poëtae praeclarissimi indutus est et auctoritate floruit, et unde etiam in terris longis intervallis disiunctis summam gloriam sibi

[1]) cf. Mionn. descript. de med. antiques S. VI. 573. [2]) Paleius p. 17.: idem fortasse innuitur qui memoratur VII. 105. 118. [3]) cf. id. XI. 7. Knapp. Th. u. die Idyllendicht. p. 2. Kehr. de poët. qui sunt in Anth. Pal. stud. Th. p. 25. nom. Sic. id. XV. 101. (cf. Spohn. LL. Th. III. p. 12.) id. I. 68. 69. 117. al.

peperit. Sed quoniam eo, ubi non solum vestigia plurima priscae simplicitatis morum illorumque temporum beatorum servata erant, quorum cogitatione imaginem finxerant et quae converterant in aetatem auream poëtae, sed etiam summis viribus ingenii eius, qui iam se expertus erat carminibus conditis, spes et iucunditas ostendebatur, fore ut magis ac magis deinceps per aetatis gradus exsplendescerent, emigraverat, ibi etiam civium inquilinorum in numero habitavit (cf. cum illius epigr. verbis *εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν. . . Συρηκοσίων* verba *μετῴκησε δ' ἐν Συρακούσαις* posteriori huius capitis parti praescripta). Accedit quod ad opinionem, Theocritum Syracusis natum esse, ea re adducti esse possunt veteres scriptores, quod Moschus, cui cognomen fuit, ut legerunt, Theocrito, Syracusis natus est. Atque ad insulam Con eaque loca, quae ei circumiacent, ubi pueritiam et adulescentiam transmisit poëta, plurima nomina propria ab ipso commemorata referenda sunt, velut idd. VII. II. vv. 29. et 96.: *ὁ Μύνδιος* (sc. Delphis, cf. quae supra dixi), nam Myndus, Cariae oppidum, proxime aberat ab insula Co, I. 57.: *Καλυδνίῳ*, quod suspicatus est Ahrens.[1]) secundum illius loci schol.: *γράφουσι δέ τινες καὶ Καλυδνίῳ*, nam Calydnae fuerunt insulae circum Con iacentes, quarum maxima nominata est Calydna, postea Calymna[2]), IV. 23.: *Στομάλιμνον*, Aestuarium apud Crotonem, cf. Fritzsch. ad hunc locum haec adnotantem: Libenter hanc Crotonis viciniam commemoravisse videtur Theocritus grata commotus patriae suae recordatione; nam fuit in insula Co, teste Strabone XIV. 2. 19. p. 657. vicus Stomalimne. Denique spectemus, quae profert poëta de insula Co id. XVII. vv. 64. sqq.

III. De temporibus et carminibus Theocriti.

ἤκμασε κατὰ τὸν Πτολεμαῖον τὸν ἐπικληθέντα (Φιλάδελφον τὸν) Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λάγου (vit. A., Ahr. II. p. 1.). *ἤκμασε κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ* (Valck. et Westerm. p. 185.).

Illam coniecturam Ahrens. non omni veritatis specie carere, hisce verbis argum. id. IV. ostenditur: *οὐ πάντως ὁ Θεόκρ. κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους γέγονε τῷ Μίλωνι*[3]), *ἐπεὶ μέμνηται αὐτοῦ, ἀλλ' ἔστι πολὺ νεώτερος, εἴγε ὁ Μίλων τὴν ξ πάλην νικᾷ παίδων, ὁ Θεόκρ. δὲ ὥσπερ ἐδείξαμεν κατὰ τὴν ρκδ' Ὀλυμπιάδα ἤκμαζεν*, cuius olympiadis (a. $\frac{284.}{281.}$ a. Chr. n.) a. sec. est primus temporum, quibus Ptol. Philad. clavum imperii tenuit. In vita autem Theocr. (ap. Ahr. II. p. 2.) haec leguntur: *ἰστέον ὅτι ὁ Θεόκριτος ἐγένετο ἰσόχρονος τοῦ τε Ἀράτου καὶ τοῦ Καλλιμάχου καὶ τοῦ Νικάνδρου· ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου.* Atqui Aratum et Nicandrum Colophonium fuisse aequales, in vit. Arat. I.[4]) negatur, ubi haec verba sunt: *οἱ λέγοντες Νίκανδρον τὸν*

[1]) cf. Hempel. p. 11. adn. 1. [2]) cf. Strab. X. 5. 19. [3]) eodem nomine puer quidam delicatus id. VIII. vv. 47. et 51. et messor quidam id. X. vv. 7. et 12. significantur. [4]) Westerm. p. 54. ll. 63. sqq.

Κολοφώνιον μετ' Ἀράτου Ἀντιγόνῳ συγκεχρονικέναι . . . ψεύδονται et haec: *Ἀντίγονος γάρ, ᾧ συνεγένετο Ἄρατος, κατὰ τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον γέγονε Πτολεμαῖον, Νίκανδρος δὲ κατὰ τὸν πέμπτον*[1]), quae certe recte affirmantur, ita ut ad refutandam eam fabellam suppeditent, qua Antigonus Gonatas oravisse narratur Aratum medicum, ut poëma astronomicum (Phaenomena et Diosemea) conscriberet, et Nicandrum astrologum, ut opus de arte medica elaboraret; sed miram rem petenti utrumque poëtarum non obtemperavisse suum scriptum arbitris remotis permutantem; qua fabula quispiam fortasse demonstrare voluit, quare Arato, qui medicinae Co studuisse videtur, ascribi potuerit carmen astronomicum. De ea autem quaestione, quae sit distinctio et dissimilitudo inter illa *ἤκμαζε ἤκμασε ἐγένετο γέγονε* in vitis lecta, supervacaneum est verba facere. Sed id quidem constat, Aratum fuisse aequalem Theocriti, etenim, quamvis sine dubio in universum cavendum sit, ne scholiastarum verbis *ἰσόχρονος συνήκμαζε* sim. nimium pondus tribuamus, cum saepissime designent aequalitatem latius patentem, ita ut adulescentuli haud raro senum aetate longe provectorum aequales appellentur, tamen ex rebus, quas cum id. VI. tum id. VII. continent, recte colligi potest, Aratum et poëtam nostrum, qui amicitiam intimam inter se instituerant, eodem fere anno natos esse; cuius posterioris id. vv. 96. sqq. Theocritus se ipsum, qui voluntatem puellae cuiusdam delicatae sibi conciliaverit[2]), perquam iocose ita opponit Arato, qui amator sit infelicissimus (cf. vv. 122. sq.: *μηκέτι τοι φρουρέωμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε, μηδὲ πόδας τρίβωμες*), ut nisi inter homines eorundem fere annorum fieri non solet.

Quando igitur Aratus Solensis natus est? In vita V. eius haec verba sunt[3]): *Ἄρατος γεγονὼς ἐν τῇ ρκδʹ ὀλυμπιάδι* (a. $\frac{284.}{281.}$ a. Chr. n.) *ὅτε ἦν Ἀντίγονος βασιλεὺς Μακεδονίας* et in vita IV.: *Ἀντίγονος παρέλαβε τὴν ἀρχὴν περὶ ρκέ ὀλυμπιάδα* (a. $\frac{280.}{277.}$), *καθ' ἣν Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος Αἰγύπτου ἐβασίλευσεν*[4]), qui a. 283. regnum Alexandriae suscepit. Non nimium illi testimonio tribuendum est; Aratum enim Antigoni laudem celebravisse haud nescivit scriptor[5]), itaque ad ann. natalem poëtae definiendum adhibuit id tempus, quo Antigonus se appellare coepit (a. 283.) regem Macedoniae, qua orbatus a. 276. a. Chr. n. iterum hoc regnum suscepit, iam ol. 118. 3. (a. 306.) regno Macedoniae occupato ab eo Antigono, qui a. 301. mortuus est, et ab eius filio Demetrio Poliorcete, quippe qui aliquamdiu contra Seleucum, Cassandrum, Ptolemaeum Lagi, Lysimachum, qui Thraciae praefuit, prospere bellum gessissent. In vita Ar. autem III.[6]) me-

[1]) Ptolem. V. Epiphanes gubernacula rei publicae tractavit aa. 205.—181. a. Chr. n. [2]) Cum sternutatio Hom. Od. XVII. 545. in omen secundum accipiatur, n. l. contrarie esse iudicandum videtur, quoniam Simichides miser nominatur. At cf. (nisi forte ap. Ahrens.) id. XVIII. 16., itaque nostro quoque loco sternutationem esse omen bonum puto, cf. Zettel. Th. Humor p. 22. [3]) Westerm. p. 61. l. 5. [4]) West. p. 60. ll. 15. sqq. [5]) West. p. 61. l. 13. [6]) cf. Westerm p. 58. ll. 6.—15.

moriae proditum est, post Alexandri mortem regnum obtinuisse Arrhidaeum Philippum, deinde Seleucum Nicatora, deinde Ptolemaeum Ceraunum, tum Sosthenem, tum rex fit *Ἀντίγονος Φιλίππου, οὗ γίγνεται παῖς Δημήτριος ὁ Πολιορκητής· Δημητρίου δ' Ἀντίγονος ὁ Γονατᾶς, παρ' ᾧ διέτριβεν Ἄρατος καὶ σὺν αὐτῷ Περσαῖος ὁ στωικός κτλ.*, quo loco non traditur, Aratum apud Antig. Gonatam commorari, postquam hic regnum inierit, ita ut asseveraremus, iam ante a. 283. apud Antig. Gonat. versatum esse Aratum, nisi illi sententiae haec verba obstarent:[1]) *σχολάσαι δ' ὁ Ἄρατος Περσαίῳ τῷ φιλοσόφῳ Ἀθήνησι καὶ συνελθὼν αὐτῷ εἰς Μακεδονίαν μεταπεμφθέντι ὑπ' Ἀντιγόνου καὶ παρελθὼν εἰς τὸν Ἀντιγόνου καὶ Φίλας γάμον*[2]) *καὶ εὐδοκιμήσας τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διέτριψεν ἐκεῖσε.* Atqui in vit. Ar. II.[3]) haec commemorantur: *Ἄρατος ἐν τοῖς χρόνοις ἐγένετο κατὰ Φιλάδελφον τὸν βασιλέα, συνήκμαζε δ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Φιλητᾷ*[4]) *κτλ.*, quibus ea opinio, quam supra dixi, quanti illud *συνήκμαζε* faciendum sit, comprobatur, nam Theocritum, quem h. l. secundum id, quod supra exposui, pro eius aequali amicoque Arato possum dicere, et Philetam eodem fere tempore floruisse aetate, ex hisce versibus id. VII. 39. sq., ni me fallit, refutari non iniuria posse videtur: *οὐ γάρ πω κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλὸν Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω οὔτε Φιλητᾶν κτλ.*, ex quibus iudicant Hempel. (p. 12.) aliique v. d. merito collegisse interpretatores veteres (*ἀκουστὴς γέγονε Φιλητᾶ καὶ Ἀσκληπιάδου, ὧν μνημονεύει*, Ahr. II. p. 1., *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν Σάμιον τὸν ἐπιγράμματα γράψαντα, οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι ὁ Θεόκρ.*, schol. id. VII. 40., *Φιλητᾶς ὁ διδάσκαλος Θεοκρίτου*, Georg. Choerobosc. p. 360. Gaisf.), Philetam Coum et Asclepiaden Samium (*Σικελίδαν*) fuisse Theocriti praeceptores. Sed ex his versibus illud effici, me non posse animo et cogitatione comprehendere, confiteor, attamen inde fortasse sequi quispiam paulo dilucidius confirmet, Theocritum multo minorem natu fuisse quam Philetam, atque hunc iam ad senectutem eo tempore pervenisse, quo Theocritus haec verba scripserit, quamobrem modeste concedat, quamvis vv. 37. sq. se Musarum *καπυρὸν στόμα* et *ἀοιδὸν ἄριστον* appellari dixerit, Phileta et Sicelide (sc. poëtis natu multo maioribus) se multo inferiorem esse. Quod ipsum quoque inde nisi audacius non posse concludi non infitias eo. Sed diserte et plane in vit. Philetae,[5]) eum et Philippi et Alexandri regis temporibus vixisse, exponitur, multo ergo maiorem natu Philetam quam poëtam nostrum fuisse apparet, quem nemo adhuc affirmavit iam illa aetate in vivis fuisse.

Bach.[6]) autem suspicatus est, Philetae aetatem cadere circa ol. 110. (a. $\frac{340.}{337.}$ a. Chr. n.) usque ad ol. 120. (a. $\frac{300.}{297.}$). At, quamvis c. illam ol. Philetam natum esse con-

[1]) Westerm. p. 60. ll. 10. sqq. [2]) Quae nuptiae fuerunt c. a. 276. a. Chr. n., de qua re videatur infra. [3]) Westerm. p. 56. ll. 5. sq. [4]) cf. Westerm. p. 60. ll. 6. sq. [5]) cf. Westerm. p. 116. [6]) Bach. Philetae Coi, Hermesianactis Colophonii rell. p. 6.

cedamus, tamen ut in Bach. sententiam, quando Philetas vitae cursum confecerit, discedamus fieri non potest (cf. Haul. p. 8.). Constat enim inter omnes Ptol. Philad. natum esse a. 309. ac quidem in insula Co [1]) atque, quod traditum est in vita Philet., hunc edocuisse Ptol. Philad. in dubium vocandi nulla ansa praebetur. Cui vero persuasum sit, a Phileta Ptol. Philad. decem fere annos natum institutum esse litteris doctrinaque puerili?

Neque vero, quamquam Theocritum, qui c. a. 308. a. Chr. n. esse natus videtur, profecto a Phileta in arte poëtica eruditum esse et ipse statuo, Hempel. assentior, qui iudicat (p. 14.), vocem *ἀκουστής* (cf. Ahr. II. p. 1.) denotare Philetam nostri poëtae in studiis doctis [2]), non in litterarum rudimentis praeceptorem fuisse, quod ipsum enim in dubium vocare licet usu verbi *ἀκούειν* in vita Aristophanis Byzant. praebiti (Westerm. p. 362.): *Ἀριστοφάνης μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος τοῦ δὲ παῖς ἤκουσεν.* Attamen eam ob causam sententia, Philetam iam ante a. 300. a. Chr. n. diem supremum obisse, impugnanda est, quoniam Theocritum Philetas videtur imbuisse arte poëtica, cui opinioni non dissentaneum est, si uterque poëtarum carminibus in diversis artis poëticae generibus habendis [3]) antestetit. Quid enim verisimilius, si modo Theocritus adulescens et Philetas senex (cf. paulo inferius) in oppido Co eodem tempore commorati sunt, quam Philetae exemplo Theocritum ad poësis studia et ipsum esse excitatum atque proposuisse sibi exemplum Philetae ad imitandum (cf. id. VII. 40.)? neque hic ingenio adulescentis poëtico excolendo operam navare dubitaverit.

Neque vero inde, quoniam in vit. Ar. scriptum est, Philetam fuisse aequalem Arati et Alexandri Aetoli (cf. Haul. p. 8.), puto recte posse demonstrari, Philetam non iam c. a. 300. diem supremum obisse. Namque supra iam ostendimus, illi *συνήκμαζε ἰσόχρονος* ct. non nimium pondus tribuendum esse atque de aetate illius poëtae posterioris cf. solum West. p. 54. Quodsi putamus, scriptor. vit. eis verbis morose usos esse, quid de Haul. opinione (p. 9.), Theocritum fuisse discipulum Philetae, dicamus? nam non modo Philetas Theocritus Aratus una viguissent, sed etiam Zenodotus Ephesius, grammaticus praestantissimus illorum temporum, cuius tria carmina parva servata in Anth. Gr. II. p. 61. sunt, qui ipse quoque in discipulis Philetae ducitur. [4]) Atque ab hoc, qui more illius aetatis studia poësis cum studiis artis grammaticae coniunxit, arte non modo grammatica sed etiam poëtica esse instructus videtur.

[1]) schol. id. XVII. 58. [2]) p. 14. Hempel. affirmavit, a Phileta Ptolemaeum puerulum ipsa Co educatum litterisque instructum esse, sed et ipse Hemp. putat, a Phileta Theocr. non puerum eruditum esse. At quidni Ptol. optimarum artium studiis a Phileta excultum esse v. d. statuit? namque Philetas omni liberali doctrina politus fuit, sicuti tantum non omnes poëtae Alexandrini studii magis quam naturae laude insignes fuerunt, litteris rhetoricae grammaticae dediti, qui singuli in variis generibus antiquorum exempla imitari atque artificia sua componere potuerunt (cf. Reinhold. p. 9.). [3]) cf. Philet. sedecim carmina Anth. Gr. I. pp. 121. sqq. [4]) cf. Westerm. p. 369. l. 46.

Denique, quod Bach. contendit, Philetam annos fere quadraginta natum e vita discessisse, rectum esse eam ob causam infitior, quoniam Philetas senex Co rei publicae ad gubernacula sedit, quod, ni fallor, colligi non iniuria potest Plut. libri, qui inscribitur An seni gerenda sit res publica, e c. 15, in quo commemoratur, sicuti stultus sit, qui Philetam iubeat rem publicam gubernare, integra quidem aetate, verum gracilem et ob infirmitatem valetudinis crebro decumbentem: ita eum quoque, qui bellum gerere vetet talem (robustum) senem, qualis fuerit Masinissa Afer (cf. Cic. Cat. Mai. X. 34.). Etenim ut Masinissa senex robustus re vera bellum gessit ita Philetas non integra aetate, qua ad aegrotandum proclivis fuisse videtur, sed senex rem publicam Coam gubernavit. Quae si ita sunt, Theocriti praeceptor non ante a. 280 a. Chr. n. extremum vitae spiritum effudit, si modo non ante a. 340. a. Chr. in lucem editus est, cui opinioni repugnare licet, etenim Ritschel. suspicatus est, Philetam ol. $\frac{108.}{109.}$ a. $\frac{348.}{341.}$ a. Chr. n. natum esse. Atque Ritschelium sequens Koepk. illud comprobare studuit. Ritschel. igitur sententiae assentiens puto Philetam natum esse c. ol. 108., atque usque ad ol. 125. a. $\frac{280.}{276.}$ in vivis fuisse hunc poëtam persuasum habeo, itaque Ptol. Philad. et Theocr. adulescentium mentibus lumen praetulisse potest. Quomodo ol. 125. computanda sit, in quaestione de tempore, quo res id. VII. agantur, ni me fallit, satis demonstrabitur.

Atque haec quidem hactenus, iam redeamus ad id spatium temporis paulo accuratius definiendum, quo Aratus, Theocriti aequalis, natus sit. Atque Ritschel. quidem coniecit, eius annum natalicium cadere in ol. $\frac{118.}{119.}$ a. $\frac{308.}{301.}$ a. Chr. n., Schneider. (Nicandrea p. 13.), Aratum in vivis fuisse ante a. 295., Koepk. (cf. Hemp. p. 17.), eum ol. 119. 4. a. $\frac{301.}{300.}$ fere natum esse, Hauler. (p. 14.) Ritschel. sequens, eum c. a. 305. a. Chr. n. in lucem editum esse.

Arati autem, Theocriti amici, de vita haec fere proferri possunt. Antigonus Gonatas Acrocorinthi curam Arato commisit, qui ad ipsum deductus erat a Perseo, Zenonis liberto. Discipulus autem Aratus fuerat Persei Athenis (West. p. 58. ll. 21. sq.), ubi hic disciplinam Stoicam docuit. Cum philosophum Zenonem Antigonus Gonatas invitavisset in Macedoniam proficisci, ut nuptiis suis cum Phila, Seleuci Nicatoris filia [1]), interesset, Zeno, quippe qui 76 annos, ne dicam plures, natus [2]), aetate igitur iam affectus esset, pro se discipulum suum misit Perseum, quem comes sectatus est Aratus. Atque Arato quidem ex sententia processit, ut apud regem multum gratia valeret, incertum est, utrum carmine in illas nuptias condito (e vita Ar. *ἐκ τῶν Σουίδα* [3]) elucet, eum com-

[1]) cf. Westerm. p. 53. l. 42. [2]) cf. Hieronym. ad ol. 129. 1. a. 264.|263. a. Chr. n.: Zeno Stoicus moritur, et West. p. 421. l. 383. adnot. [3]) West. p. 61. l. 14.

posuisse [*ἐπιγράμματα εἰς Φίλαν τὴν θυγατέρα Ἀντιπάτρου*[1]]) an quoniam optimus medicus fuit (in vit. I.[2]) medicus dicitur et verisimile est, Co non primoribus labris eum attigisse artem medicam) an quodam modo alio. Neque vero, postquam in Macedoniam immigravit, ab Antigono Gonata, qui consuetudinem vitae victusque eius magni aestimavit, umquam rursus discessit aut seiunctus est (cf. Westerm. p. 61. ll. 7. sq.: *καὶ συνῴκει τε αὐτῷ καὶ παρ' αὐτῷ ἐτελεύτησε*), quamvis aliquamdiu illis temporibus apud Antiochum, Seleuci filium, commoratus sit.[3]) Quousque quidem Aratus apud Antigonum vixerit, nescimus; hoc vero an constet dubito, eo regnante et in domo eius regnatrice poëtam mortuum esse. Cum igitur filius Antigoni Gonatae, Demetrius II., ab a. 240. a. Chr. n. gubernacula Macedoniae tractaret, Aratum ante a. 240. diem suum obisse secundum verba illius vit. Ar. statuere necessario requiritur. Atque in Macedoniam profectus est Aratus intra aa. 78. et 274., intra quos Droysen. in eo opere, quod inscribitur Geschichte des Hellenismus, II. p. 179, iudicat Antigoni Gonatae et Philae celebratas esse nuptias, in quas Aratus eodem tempore carmen condidisse videtur. Praeterea hic commemoremus verisimile esse, antequam id. XVII. Theocr. in Ptol. Philad. compositum sit, Arati Phaen. et Diosem. condita esse, quoniam in argum. illius idyll. haec verba leguntur: *Ἀρατείᾳ κέχρηται εἰσβολῇ*[4]), eisdem enim verbis, a quibus Phaen. et Diosem. initium ducunt, in prooemio illius carminis *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα* usus est Theocr. primis.

Antequam autem definiamus, quo fere anno Ar. natus sit, quaerendum est, qui Callimachi annus natalicius fuerit, quo cognito intellegemus Philetam c. quadraginta annis ad summum Arato maiorem fuisse. Etiam Callimachus poëtae nostri in numero aequalium habitus est. Ptol. autem Philad. regnante vixit secundum vit. ipsius: *καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ ρλγ'* (sic scribo pro *ρκζ'*), *ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Εὐεργέτης Πτολεμαῖος ἤρξατο τῆς βασιλείας.*[5]) Atqui in vita Ar. I.[6]) haec inveniuntur: *μέμνηται γοῦν αὐτοῦ* (*Ἀράτου*) *καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην*; inde verisimile fit, quia probabilis causa non est, ob quam illa dubitentur, Aratum maiorem natu fuisse quam Callimachum. Quem ipsum autem annos sexaginta, ne dicam plures, natum cursum vitae confecisse statuendum est, quia in Ar. vit. IV.[7]) haec scripta sunt: *Ἄρατος γηραιῷ τῷ Κυρηναίῳ* (sc. *Καλλιμάχῳ*) *ἐπεβάλετο, παρ' οὗ καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη* et Stat. Silv. I. 2. 253. Callimachus senex nominatur. Quae cum ita sint, Aratus sexagesimum primum minimum aetatis ingressus est annum, atque contendimus, non

---

[1]) at proxime commemoravimus Philam fuisse filiam Seleuci Nicatoris. [2]) West. p. 54. l. 66. [3]) West. p. 58. ll. 24. sqq. [4]) Ahrens. uncis inclusit haec verba, quippe quae omiserit cod. Gen. b. [5]) Westerm. p. 371. [6]) Westerm. p. 54. ll. 74. sqq. [7]) Westerm. p. 60. ll. 25. sq.

multo ante a. 240. mortuum esse et c. a. $\frac{308.}{306.}$ eum in lucem editum esse, etenim et licet arbitrari Callimachum demum c. a. $\frac{307.}{305.}$ a. Chr. n. natum esse et eis temporibus, quibus res id. VII. aguntur, 28 maxime annos natum fuisse Aratum opinor. Accedit quod coniectura, Callimachum c. a. $\frac{307.}{305.}$ in lucem editum esse, convenit cum sententia eius, qui, quod sciam, postremus de quaestione, quando natus sit Callimachus, tractavit, Couat. Atque confirmavit v. d., Callimachum c. a. 305. esse natum, cf. Couat. Remarques sur la date et la compos. des hymnes de Call. p. 11. n. 2.: s'il est impossible d'en affirmer l'exactitude absolue, il y a au moins de bonnes raisons de croire qu'elle est à peu près exacte. Hempel. quidem, quamquam sententiae Couat. assentitur, Callimachi aetatem fere incipere inde ab a. 305., tamen ne minimum quidem pondus tribuit illis verbis disertis et planis, quae dubitare non licet, Aratum ut maiorem natu commemoratum esse a Callimacho, sed scripsit (p. 17.): Comparativi *πρεσβυτέρου* notionem non urserim, cum loci, quos dicit schol., non legantur in Callimachi reliquiis, atque putavit, Koepk. in egregia de poëtae Solensis aetate dissertatione Aratum ol. 119. 4. a. $\frac{301.}{300.}$ fere in lucem editum esse luculentissime demonstravisse, a qua opinione abhorret id quod Hauler. (p. 14.) suspicatus est, Aratum natum esse c. a. 305. a. Chr. n.

Quae cum ita sint, tempora, quibus nati et mortui sunt Aratus et Callimachus, Theocriti nostri aequales, paulo accuratius definiri posse intellegimus: Aratus, illorum poëtarum maior natu, in vivis fuit fere ab a. $\frac{308.}{306.}$ usque ad a. haud multo ante 240., Callimachus fere ab a. $\frac{307.}{305.}$ usque ad a. $\frac{247.}{245.}$ [1]) a. Chr. n.

De aetate autem Asclepiadae Samii proferri omnino nihil potest, nisi eum eisdem fere temporibus atque Philetam (cf. id. VII. 40.) vixisse videri, neque de aetate Pyrrhi (cf. id. IV. 31.), poëtae, ni fallor, Erythraei,[2]) certe non Milesii, qui gloriam et honorem communicavit cum Sotade et eodem genere poësis atque hic antestetit,[3]) dici quicquam potest, nisi eum aequalem Theocriti fuisse, neque vero cum poëta Erythraeo intimis amicitiae vinculis ipsum coniunctum fuisse ex illo loco Theocriteo recte colligi potest.

---

[1]) Itaque in Sosibium epinicium elegiacum Callimachi (Schneider. Callim. II. p. 219.) referri vix potest ad eum Sosibium, cuius consilio multum motus est Ptol. IV. Tryphon et quo auctore Berenicae, Ptol. Euerg. morte viduatae, mortifera plaga inflicta est. [2]) cf. schol. id. IV. 31. [3]) cf. Westerm. p. 114. l. 34.

Materia instituta porro tractabitur et absolvetur.

PART 2

no. 6

Quaestionum Theocritearum

PARTICULA II.

Wissenschaftliche Abhandlung

von

Dr. H. Traut,
ordentl. Gymnasiallehrer.



Beilage zum XXXV. Oster-Programm 1889

des

KÖNIGL. WILHELMS-GYMNASIUM

zu

Krotoschin.



Druck von Friedrich A. Kosmäl in Krotoschin.

1889. Progr.-Nr. 146.

Quaestiones Theocriteae.

Particula altera.

III. De temporibus et carminibus Theocriti.

(Materia instituta porro tractatur et absolvitur.)

In parte priore quaestionum Theocritearum exposui, quamobrem opiner, Moscho cognomen Theocriti, non Theocrito cognomen Moschi impositum esse, et de genere Theocriti egi. Satis quoque multa verba in ea fecisse mihi videor de aetate aequalium Theocriti, reliquum est, ut quaeram, quo fere tempore Theocritus de vita decesserit. Quoniam enim Aratus et Callimachus, poëtae nostri aequales, hic c. a. 307/305. ille c. a. 308/306. a. Chr. n. secundum ea, quae dixi,[1]) nati esse videntur, haud scio an c. olymp. 118. etiam Theocritus natus sit, qui in id. VII., si modo ille Simichides atque ipse idem est (quod si pro *Εὔκριτος*, vv. 1. et 131., *Θεύκριτος*[2]) praetermittens *τέ* scribo, statuere vix possum), adulescens est totidem fere annos natus quot Aratus. Atqui argumenti id. XVII. hic locus apud Ahrensium[3]) ita scriptus est: *ὁ Φιλάδελφος Πτολεμαῖος Πτολεμαίου τοῦ Λάγου καὶ Βερενίκης ἦν παῖς. διὸ καὶ ἁμαρτάνει ὁ Μούνατος εἰς τοὺς χρόνους ἀναβιβάζων τοῦ Θεοκρίτου τὸν Φιλοπάτορα, οὐ συνιδὼν τοσούτου χρόνου διάστημα μαχόμενον*, cum vulgata lectio eius loci, quam Haulerus[4]) sequitur, haec sit: . . . *τοὺς χρόνους τοῦ Θεοκρίτου ἀναβιβάζων*[5]) *εἰς τὸν Φιλοπάτορα*. Cod. autem Gen. b., quem Ahrens. sequitur, lectionem praebere rectam videtur. Utrum vero hanc lectionem an illam praestare opinemur, non multum interesse videtur, quoniam vitam Theocriti non in ea tempora, quibus Ptolem. Philopator gubernacula regni tractabat, cadere vel ante olymp. 139. 4. (ante a. 221. a. Chr. n.) poëtam mortuum esse non videtur incertum fuisse.

---

[1]) Quaestt. Theocr. I. pp. 28. sq. [2]) cf. id. II. 70, XXVIII. 13. 22. id XIV. 13. epigr. IX. ap. Fritzsch. a. Zieglero non editi v. 3. [3]) Bucol. Graec. II. p. 27. [4]) De Theocr. vita et carmin. p. 16. [5]) pro quo verbo Geel. in editione sua Theocritea (p. 333.) suspicatus est legendum esse katabibazon quoniam accuset Munatum scholiastes, quod tempora poëtae non ad Ptolemaeum Philadelphum, sed ad Ptolemaeum Philopatorem referat.

Atque hic quidem Munatus, quem ne eundem esse atque Munatium quendam cuius unum epigramma, servatum est,[1]) opinemur caveamus, grammaticus in scholiis quater reprehenditur (cf. schol. id. II. 100. et argg. III. VII. XVII.), bis probatur (cf. schol. id. VII. vv. 107 et 138.); qui Munatus cum saepius vituperetur, Ahrens.[2]) suspicatus est, „paulo post Munati commentarium editum sua opera evulgata aemulum, unum e recentissimis vetustiorum commentatorum vatis nostri[3]), exstitisse.“ Atque profecto optimo iure hic aemulus exstitit adversus Munatum, qui illis locis propter errores commissos merito castigatur, si modo absurda illa ex eius commentariis recte relata sunt.

Opinetur autem quispiam, collegisse Munatum e quodam carmine Theocriteo, quod iam non exstet, quasdam res ad tempora Ptolemaei Philopatris referendas, qui conatus ex opinione illius aemuli vanus fuerit, quoniam, cum tempora Theocriti ad aetatem Ptol. Philadelphi referenda sint, hanc ob causam (*διὸ καὶ* sqq., quae verba omissa sunt in cod. M.[4])) ad Ptol. Philopatoris regis aetatem referri non possint. Quod si iudicavit aemulus Munati,[5]) sine dubio magno in errore versatus est.

At ne Munatum contulisse accuratas operas studiaque in Theocritum coniciamus caveamus. Etenim credi vix potest, in carminibus poëtae nostri studiose et multum eum volutatum esse, sed coniectura colligendum est, eum confirmavisse, Ptol. id XVII. vv. 3. 7. 56. 85. 92. 103. 115. 135. esse eum, cui cognomen fuerit Philopatori, quoniam, quod in dubium vocare vix licet, perperam contendit, Simichiden ad sacra ob messem opimam Cereri celebranda cum Phrasidamo et Antigene, a quibus invitatus erat, ivisse.[6]) Proxime igitur ad verum accedit, quam sententiam tuemur, temporibus iam Munati inter omnes constitisse, Theocritum, priusquam Ptol. Philopator regnum inierit, extremum vitae spiritum effudisse, id quod ille grammaticus nesciverit.

Atqui Hauler. Munatum, cuius stultitia valde reprehenditur, defendere conatus est[7]). Existimavit enim hic v. d., eos, qui opinarentur, Theocritum iam aetate Ptol. Philopatoris non in vivis fuisse, commentatores vatis in errorem raptos esse ea causa, quia temporibus Ptol. Lagi et Ptol. Philadelphi floruisset poëta. „Immerito ac temere reprehendisse Munatum videtur mihi (ille scholiastes), si hic quidem Theocritum adhuc superstitem fuisse Philopatoris tempore contenderit, quod non ita accipiendum, ac si potissimum eo rege floruisse dixerit“.

Argumentum autem praestantissimum esse, Munatum illud haud perperam confirmavisse, existimat Hauler., quod Moschus in Epitaphio Bionis[8]) Theocritum in vivis

[1]) cf. Anthol. Graec., ed. Jacobs., II. p. 224. [2]) II. praef. p. XXXII. [3]) p. XXXIII. [4]) Ahr. II. p. 27. [5]) fortasse Eratosthenes scholasticus aetatis Justinianeae, cf. Abr. II. p. XXXIV. [6]) cf. argum id. VII. [7]) p. 17. [8]) v. 100.

numeret: *ἐν δὲ Συρακοσίοισι Θεόκριτος· αὐτὰρ ἐγώ τοι Αὐσονικᾶς ὀδύνας μέλπω μέλος, οὐ ξένος ᾠδᾶς κτλ.* Qua de quaestione quid iudicem quondam exposui[1]) indeque ne minimam quidem ansam praeberi puto ad id tempus enucleandum, quo Theocritus de vita decesserit.

Atqui cum Bion immaturo fato ereptus sit[2]), bucolicus noster ad senectutem pervenisse videtur. Quod Hempel.[3]) ex hisce verbis id. XXIX. vv. 5—8 (cf. v. 10.) collegit: *τὸ γὰρ ἅμισυ τᾶς ζοΐας ἔχω ζὰ τὰν σὰν ἰδέαν, τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο κτλ.*, e quibus illud effici nego[4]), namque ex eis verbis eodem iure concludi potest, vatem, cum ea scriberet, adulescentem fuisse. Idem Hempelius[5]) laudavit id. XXIII vv. 28. sqq., qui profecto omnes de vitae humanae fragilitate agunt, de qua Ovidius quoque in Arte Amatoria egit, summamque tristitiam prae se ferunt. At hoc idyllium a Reinholdo[6]) Wordsworthio Ahrensio Fritzschio aliis[7]) spurium recte iudicatum est. Quisquis autem illud carmen condidit, num ad senectutem pervenerit, parum constare existimo, nam in tantam sollicitudinem adductus est, quoniam puer ab ipso amatus ad misericordiam ipsius non allicitur, quamobrem ille narrat de puero in deliciis ab amatore quodam habito qui amatore suo morte voluntaria erepto cadavere viso nihil commotus sit, quam ob causam impietatis poenam Amori deo a se neglecto morte inopinatissimo solverit; itaque poëtam quendam mediocris ingenii puto memoria illa actae rei puerum forma pulchrum movere voluisse, ut misericordia et timore ex illa re affectus ipsi petenti satisfaceret. Neque vero e verbis Thyonichi id. XIV. vv. 68. sqq.: *ἀπὸ κροτάφων πελόμεσθα πάντες γηραλέοι, καὶ ἐπισχερὼ ἐς γένυν ἕρπει λευκαίνων ὁ χρόνος ποιεῖν τι δεῖ, ἇς γόνυ χλωρόν* colligere opus est poëtam factum esse senem, quoniam coniecturae Hauleri, qui putat versibus pluribus illius idyllii vatem se ipsum significare videri Thyonichi persona, quippe qui Ptol. Philadelphum optime noverit[8]), non assentior. Neque etiamsi quis poëta senectutem tristem et severam atrociter adumbret, inde ipsum esse senem in universum colligi licet.

Attamen vates sexaginta annos natus, ne dicam plures, e vita videtur discessisse, nam (Stat. Sil. v. V. 3. 151.) Siculus senex nominatur. Quae cum ita sint, usque ad annum fere 247. a. Chr. n. ad. minimum eum lucem aspexisse suspicari licet[9]). Hoc unum concedo ante a. 203 a. Chr. n. Theocritum mortuum esse, si, quod sriptum est id. XIII. vv. 30. sp.: *εἴσω δ' ὅρμον ἕθεντο Προποντίδος, ἔνθα Κιανῶν*[10]) *αὔλακας εὐρύνοντι βόες τρίβοντες ἄροτρα*, contuleris cum eo, quod inter omnes constat, c. a. 203. a. Chr. n. Prusiam I., Zelae filium, Cium oppidum postquam adiuvante Philippo, Demetrii filio,

[1]) Qu. Th. I. p. 7. [2]) Mosch. Epit. Bion v. 26. [3]) Quaest. Theocr. p. 18. [4]) cf. Fritzsch. ed. min. p. 29. (Hiller). [5]) p. 19. [6]) de genuin. Th. carm. et suppositiciis, pp. 59. sqq. [7]) p. 29. [8]) cf. Qu. Th. I. p. 29. [9]) non a Zettelio („Theocr. Humor“, p. 58.) neque a Zieglero. [10]) cf. Apoll. Rhod. I. 1354.

Macedonum rege id expugnavit atque solo aequavit denuo aedificavisse atque a nomine suo illud oppidum appellavisse[1]). Id autem, quod ad illum locum Theocr. adnotavit scholiastes, procul dubio in errorem inductus scripsit, qui Prusiadem oppidum cum Prusa oppido ad Mysium Olympum montem et meridiana regione illius oppidi sito confudit[2]) Atque haec sunt verba scholiastae: (*Κίος*) *νῦν καλεῖται Προῦσα, ἀπὸ τοῦ τῶν Ἀθηνῶν βασιλέως Προυσίου. Κίος δὲ . . . Ὄλυμπος.* Verisimillimum vero est, cum Wartono et Toupio pro vulgato *Ἀθηνῶν* scribendum esse *Βιθυνῶν*, quoniam statuendum est, Prusiam regem[3]) Hannibalis aetate Prusam oppidum condidisse (quae si ita sunt, illud ante a. 183 a. Chr. n. factum est, quo Hannibalem in domo Prusiae, Bithyniae regis, a quo se esse proditum haud ignorabat, veneno mortem sibi conscivisse nemo est qui nesciat), quamquam apud Strab. ipsum[4]) de oppido Prusa id scriptum legimus, quod ipsum permirum videtur *κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος* et apud Stephanum: *τοῦ Κῦρον πολεμήσαντος.* Supervacaneum autem est commemorare, Clintonum[5]) esse suspicatum, Prusam oppidum conditum esse temporibus Cyri et Croesi a Prusia, rege quodam Bithynorum, de quo nemo adhuc quicquam scripsit nisi Clinton.

Etiam nomen Praxitelis, quod id. V. 105 legimus, in ea quaestione, de qua agimus, commemorare licet. Fritzsch. quidem existimavit illum Praxitelem, qui floruit ol. 104. (a. $\frac{364}{361}$ a. Chr. n.) Atheniensem aut Parium, Scopae aequalem, dici confecisse eum craterem, quem Comatam puellae adservantem faciat poëta; ridicule igitur gloriari caprarium. Atque recte, ni fallor, Fr. hunc locum interpretatus est, quem Zetelius in eo libro qui inscribitur, „Theocr. Humor," non laudavit. Attamen id, quod Meinek.[6]) statuit, a vate *ἀγαλματοποιόν*[7]) aequalem ipsius significatum esse, silentio praetermittere non licet, cum praesertim scholiastes, quod ad hunc locum adnotavit: *ὁ νεώτερος Πραξιτέλης ἦν ἐπὶ Δημητρίου τοῦ βασιλέως,* commentus esse non possit. At hoc loco quaestio exoritur, quis sit ille Demetrius, quo regnante fuerit is Praxiteles, qui posterioribus temporibus quam ille praeclarissimus statuarius floruit. Dubitari autem vix potest, quin hic de duobus modo regibus, quibus illud nomen fuit, cogitari recte possit. Quoniam igitur ille fuisse non videtur is Demetrius, qui in locum Antigoni Gonatae, regis Macedonum, successit, propter eam rem, de qua dicturus sum, verisimillimum est, illo scholio eum Demetrium significatum esse, qui a. 294. rex Macedonum factus est. At hoc ad id, quod agimus, nihil interest.

Ex hac vero computatione, ni opinio me fallit, coniectura colligi potest, Theocr. c. a. 245. a. Chr. n. de vita decessisse. Constat inter omnes, Apollonium, qui poësis

[1]) Strab. XII. 4. 8. p. 482. ap. ed. Mueller. et Duebner. [2]) Tretz. chil III. 964. [3]) XII. 4. 8. p. 483 [4]) Fast. Hellen. III. p. 411. [5]) cf. Strab. XII. 4. 3. [6]) p. 314. [7]) cf. schol. id. V. 105.

Homericae naturam aemulabatur, cum poëma suum de Argonautis contextum Alexandreae publice recitaret, quoniam fallacias in eum intenderant Callimachus et Callimachei, eos, qui audiebant, adeo maligne epos suum interpretantes vidisse, ut summa molestia ex ea re affectus in insulam Rhodum se conferret[1]), in qua artem rhetoricam edocuit atque civitate donatus est, quam ipsam ob causam cognomine Rhodius appellatus est. Atqui hoc loco quaestio difficilis nascitur, quo tempore illud poëma, quod inscribitur Argonautica, in lucem editum sit. Teste vetusto quodam scriptore vitae Apollonii duae erant editiones Argonauticorum. Atque illa quidem posterior editio orta est, postquam Apollonius Rhodius priorem in insula Rhodo lima persecutus est (cf. Westerm. biogr. p. 51. ll. 9. sqq.). In sententiam vero Merkelii discedo, qui putavit (p. X.) c. ol. 129. (aa. 264. ad 261. a. Chr. n.) Apollonium natum esse.[2]) Atqui hic *ἔτι ἔφηβος ὢν ἐνεδείξατο τὰ Ἀργοναυτικά* (cf. Westerm. p. 50. l. 5.). Quae si ita sunt, ab Apollonio iam c. a. 246. a. Chr. n. prior Argonauticorum editio ad exitum adducta est.[3]) (cf. Susemihlii anal. Alexandr. Chronolog. partic. II. p. XXVIII., at fere cum Couatio consentio, cuius libri „minime spernendi" titulus est „la poesie alexandrine sous les trois Ptolemées" Paris. 1882.). Neque mirum quod eius poëmatis taedium ceperunt non soli Callimachei. Inde vero fluxit odium, quod profitebantur et prae se ferebant Callimachus et is, qui eius discipulus fuerat. Atque hunc quidem illius epigrammatis in Callimachum auctorem esse opinor, quod in Anthol. Pal. XI. 275. inter epigrammata *σκωπτικά* legitur ita ab aliis emendatum: *Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξυλινὸς νοῦς, αἴτιος ὁ γράψας Αἴτια Καλλίμαχος.*[4]) Quod epigramma bilem denuo commovit Callimacho, qui indignatione ingrati discipuli exardescebat, cum componebat „Ibim". Atqui vatem nostrum eo tempore, quo ille Battides[5]) illa probra iecit in Apollonium, diem supremum iam obisse coniectura fortasse licet colligere, siquidem Ovidius argumentum Ibidis Callimacheae satis fideliter videtur expressisse[6]), cf. vv. 55.—60.: „nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin, hoc ego devoveo teque tuosque modo, utque ille historiis involvam carmina caecis, non soleam quamvis hoc genus ipse sequi; illius ambages imitatus in Ibide dicar, oblitus moris iudiciique mei", atque vv. 551. sq. adversarii sui exitium his votis expetit: „utve Syracosio praestricta fauce poëtae sic animae laqueo sit via clausa tuae", quem ad locum schol. haec adnotavit: „id est Theocrito,

[1]) cf. vit. Apoll. ap. Merkel. p. 532. [2]) cf. Christ. hist. litter. Gr. p. 386. [3]) itaque Fr. Jacobs. in magno errore versatus est, cum putaret Apoll. Rhod. natum esse regnante Ptol. Euerg. Etenim c. ol. 128. (a. $\frac{268}{265}$ a. Chr. n.) Apollon. Rhod. natus est (cf. Merkel. proll. p. X.). [4]) cf. Callimach. ed. Schneider. II. p. 276. [5]) hanc formam habet Pind. Pyth. V. 28., Callim. in Apoll. 96 scripsit Battiadai. [6]) cf. Bernhardy, histor. litter. Graec. II. 2. p. 640. Salvagnius ad Ov. Ib. v. 57. commemoravit, videri sibi Ovidium magna ex parte Callimachi Ibim Latinis versibus expressisse.

Syracusio poëtae, qui cum in Hieronis tyranni filium[1]) invectus esset, ab eo ideo est capi iussus, ut eum ad supplicium trahi simularet; interrogatus, si deinceps a maledictis desisteret, ille eo acrius etiam regi ipsi maledicere coepit, qui indignatus non iam ad simulatum, sed ad certum supplicium rapi iussit: quidam laqueo strangulatum quidam caput caesum prodidere". Neque vero nescio, minime constare, num scholiastes recte coniecerit poëtam illum esse Theocritum, attamen id quidem concedendum est, ab aequalibus Ovidii vatem nostrum potissimum[2]) poëtam Siculum vel Syracosium sollemni usu appellatum esse[3]). Si igitur illa verba ap. Ovidium lecta, quae ipsa quidem, quod me non praeterit, a nonnullis v. d., velut ab Hempelio, non ad Theocritum referuntur, ad eum ita referenda sunt, ut de nece poëtae dubitemus, poëta c. a. 245. a. Chr. n. vita excessit. Neque illud nego, quae commemorata sint ab Ovidii scholiaste, quo modo bucolicus in Sicilia perierit, quantum liceat conicere, manavisse ex sermone sine ullo certo auctore disperso.

Iam vero ante id tempus, quo Ptol. Philad., cuius in regia poëta commorabatur, mortuus est (a. $\frac{247}{246}$ a. Chr. n.), illum Alexandrea in insulam Siciliam revertisse suspicor atque in hac tribus fere annis post morbo consumptum esse. Conici quidem potest, Theocritum Alexandrea in Siciliam insulam redisse atque etiam Ptol. Euerg. regnante in Sicilia aetatem degisse et carmina condidisse, tamen pro certo id affirmari non potest. Postquam Hauler. Fritzsch. alii v. d. illam sententiam aperuerunt, poëtam non Alexandreae mortem obisse credibile est cum eam ob causam, quod Callimachus, auctor Ovidii, istam fabulam de nece poëtae Syracusii fictam credere non potuit, nisi ille eo tempore, quo vita excessit, Alexandrea longe afuisset, tum eam ob causam, quod poëta in domo regnatrice Ptol. Philad. versans de hoc rege vix potuit conari Thyonichum singulari modo dicentem facere haec id. XIV. vv. 64. sq. *αἰτεῖν δὲ δεῖ οὐκ ἐπὶ παντί, Αἰσχίνα* neque magis v. 62: *εἰδὼς τὸν φιλέοντα, τὸν οὐ φιλέοντ' ἔτι μᾶλλον* (quod idyll. quo fere tempore compositum sit, exponam).

Itaque quattuor Theocriti carminum tamquam periodos et classes statuo et easdem vitae periodos. In primam autem classem refero haec carmina in insula Co condita: idd. VI. VII. XII. XXVI. XXIX. XXX. Syringa (cf. Haeberlin. carm. figur. pp. 40 sqq.), in alteram iam inde ab a. fere 265. a. Chr. n. in insula Sicilia scripta: idd. XVI. et illa tria, in quibus Niciam alloquitur: XI. XIII. XXVIII., in tertiam Alexandreae usque

[1]) sc. Gelonem, qui a. 216. a. Chr. n. plures quam 50 annos natus mortuus est (cf. Polyb. VII. 8. 9.), itaque non ante a. 271. natus est. [2]) cf. Hor. A. P. 463. „Siculi poëtae", v. 465. Empedocles nomine appellatur. [3]) Verg. Buc. IV. 1.: Sicelides Musae, VI. 1.: versus Syracusii, q. s. versus Theocritei vel carmina bucolica, cf. X. 50.; versus Chalcidici, qui sunt versus Euphorionis Chalcidici.

ad a. fere 248. fusa: idd. II. XV. XVII. XXI. XXIV. XXV. Berenicen, in quartam non modo in insula Sicilia sed etiam in Italia inferiore composita idd. I. III. IV. V. VIII. (centonem habemus). IX. X. XIV. Nulla quidem ansa datur ad coniciendum, quo fere tempore vel loco condita sint Epithalamium Helenae (id. XVIII.), *ἡρωίνη*, in qua componenda nonnulla mutuatus est vates a Stesichoro, et Dioscuri (id XXII.), hymnus.[1]) In postremam autem classem Haulero recte videntur esse referenda epigr. bucol. I.—VI. et epigr. XVII.[2]) (Fr.). Spuria vero puto esse haec carmina idylliis ascripta: XIX. XX. XXIII. XXVII., in mortuum Adonidem.

Nunc paucis de nonnullis idylliis Theocriteis paulo accuratius agam et initium faciam ab illo id. VII.

De idyllio VII.

Cum in ceteris carminibus Theocriti, quae quidem adhuc exstent, propemodum prorsus delitescat persona poëtae, eum quasi praesentem habemus in idyllio VII., in quo creditur pleraque ficta esse personarum nomina et poëtam de hominibus sibi notis loqui. Atque e numero eorum virorum, quorum nomina in hoc carmine commemorata sunt, Aratus Philetas Phrasidamus Antigenes Eucritus Amyntas procul dubio intellegendi sunt tales, quibuscum consuetudinem habuerit Theocritus et quorum nomina vera dicta sint. Sed etiam ille Sicelides, qui v. 40. commemoratur, de facie notus esse poëtae nostro existimandus est, quamvis ad eam sententiam, secundum quam ille Sicelides praeceptor vates nostri fuerit[3]), hisce verbis: *οὐ γάρ πω κατ' ἐμὸν νόον οὔτε τὸν ἐσθλὸν Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω*[4]) *κτλ.*, adduci non possimus. Quo sub Sicelide Asclepiadem Samium latere, nemo adhuc negavit, cf. schol. v. 40.: *Ἀσκληπιάδην φησὶ τὸν Σάμιον*[5]) *τὸν ἐπιγράμματα γράψαντα, οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι ὁ Θεόκριτος.* Cuius Asclepiadis aliorumque poëtarum, qui idem nomen gesserunt, sunt epigrammata Anth. Gr. I. pp. 144. sq. Atque c. a. 280 a. Chr. n. ille poëta vitae cursum nondum confecisse dicitur. Viri autem docti, qui statuunt[6]), eum edocuisse Theocritum, coniecerunt, aut hunc adulescentem aliquamdiu in insula Samo commoratum et ab Asclepiade institutum esse, aut Asclepiadem, cum Samus insula non ita longe a Co distet, aliquando Con venisse ibique versatum esse, qua occasione oblata Theocritum illius viri fama permotum eius familiaritatem et disciplinam quaesivisse. Cum in dubium adhuc non venerit[7]), quin Asclepiades Samius lateat sub illo Sicelide, de ea quae-

[1]) cf. Kiessling p. 575. [2]) cf. Qu. Th. I. p. 21.
[3]) cf. Hempel. p. 12. [4]) vv. 39. sqq. [5]) cf. Mosch. (?) III. 96. [6]) velut Hauler. p. 9. [7]) cf. Meinek., qui ad v. 40., recte schol. Asclepiadem Siceliden appellare, adnotavit; ceterum Sicelidae nomine Asclep. commemoratur etiam a Meleagro I. vv. 45. sq. (in Anthol. Gr. I. p. 2.) et ab Hedylo, poëtriae Moschinae nepote, II. vv. 3. sq. (in Anthol. Gr. I. p. 233.)

stione, qua re factum sit, ut Asclepiadi nomen datum sit Sicelidae, opiniones diversissimas mentibus comprehenderunt homines docti. Atque Hillerus[1]) quidem opinatur, fieri posse, ut defatigemus in ea re, in qua ludus et iocus subsit, etenim si quis perscrutetur litteras nominis ficti Sicelidae, eum videre, consonantes nominis Sicelidae universas easque eodem ordine esse in nomine certo ac proprio, non ficto, Asclepiadis[2]) (*π?*). Quo nego esse gravioris momenti, si quis commemoret, consonantes omnes nominis *Σίμιχος* in nomine *Μόσχος* et contra nominis Moschi in nomine Simichi reperiri[3]). Quamquam vero eis lusibus et iocis saeculi ingenium favebat, tamen in utraque re an casus valeat dubito. Alii autem iudicant, Asclepiadem ideo nominari Siceliden, quod in insula Samo homine Siculo quodam genitus sit.[4]) At nominis Sicelidae et nominis Simichidae puto simili explicatione opus esse, mihi quidem ab auctore gentis Sicelo Asclepiades videtur Sicelides nominatus esse; permulta enim nomina, quibus ad homines vel internoscendos eadem nomina propria gerentes vel significandos ex peregrinis terris oppidisve oriundos[5]) primitus usi sunt Graeci, postea ita in usu erant, ut iam de origine eorum non cogitaretur, veluti nomina propria *Δελφός*, *Λέσβιος*, *Σάμιος*[6]) *Φαίαξ*[7]) al. Quamquam autem et nomina Alcibiades, Euclides, Euripides, Miltiades, Simonides, Asclepiades al., quae principio patronymica fuerunt, tantum non omnia iam non sunt patronymica et patres Graeci a nominibus suis filios saepe nominaverunt[8]), tamen et *Σιμιχίδας* (Dor. pro *Σιμιχίδης*) et *Σικελίδας* (Dor. pro *Σικελίδης*) esse patronymica puto, sicuti nomina *Λυκαονίδας*,[9]) Lycaonis nepos, *Πελοπηιάδαι*,[10]) Pelopis posteri, *Ἡρακλείδας*,[11]) Caranus, unus de posteris Herculis, aut Philippus, pater Alexandri, patronymica sunt. De nomine vero Lycidae scholiastae nihil memoriae prodiderunt. Quod nomen si est patronymicum, a nomine *Λύκος*[12]) derivandum est. Atque eodem modo aliis nominibus, quae ipsa quoque bestias significant, veluti *Κύκνος*,[13]) *Λέων*,[14]) *Πῶλος*[15]) al., homines significati sunt. Sed nomen Lycidae, amici illius Simichidae, fictum et commenticium esse vel ex hac re cognosci, inquit Fr., quod ille vocetur v. 13. caprarius et habitu caprarii insignis fuisse (vv. 15. sqq.) dicatur. Id quidem videtur constare, eximium illum cantorem fuisse Cretensem, quoniam de eo non modo haec legimus (vv. 11. sq.): *καὶ τὸν ὁδίταν ἐσθλὸν σὺν Μοίσαισι Κυδωνικὸν εὕρομες ἄνδρα*, sed etiam haec (Mosch. (?) III.

---

[1]) cf. quod adnotavit ad v. 40. [2]) cf. anagramma nominis illius praeclarissimi poëtae comici Francogallici in ea comoedia, quae inscribitur Elomire (q. e. Molière) hypocondre. [3]) cf. Hom. Od. XX. 383. et not. Boehm. ad Thuc. III. 90. [4]) cf. Qu. Th. I. p. 10. [5]) cf. epigr. XVIII. (XX. ap. Ziegler.) vv. 1. sq.. quem ad locum Gail. p. 479. haec adnotavit: les esclaves étoient appelés du nom de leur pays, usage reçu parmi nous, et id. XV. vv. 96. sqq. [6]) nomen viri Lacedaemonii Xen. Hellen. III. 1. 1. [7]) Thuc. V. 4. 1. [8]) more antiquissimo filii, imprimis maximi natu, nominibus avorum paternorum vel, quod haud raro factum est, patrum inditi sunt. [9]) id. I. 126. [10]) id. XV. 142. [11]) id XVII. 26. [12]) cf. id. XIV. vv. 24 30. 47. [13]) Eur. Herc. Fur. 391. (Kirchhoff.). [14]) Xen. Hell. II. 3. 39. [15]) Plat. Gorg. c. 2.

vv. 96. sqq.): *ἐν δὲ Κύδωσιν ὁ πρὶν μειδιόωντι σὺν ὄμματι φαιδρὸς ἰδέσθαι δάκρυα νῦν Λυκίδας κλαίων χέει* Etenim Cydones erant prisca gens, quae in occidentali parte Cretae insulae habitabat[1]), et Cydonia magna Cretae urbs a Minoë condita esse dicebatur.[2]) Itaque O. Ribeckii coniectura esse felicissima videtur, sub Lycidae nomine delitescere Astacidam Cretensem, in quem Callimachus epigr. XXIV. (ed. Schneider.) condidit: *Ἀστακίδην τὸν Κρῆτα, τὸν αἰπόλον, ἥρπασε νύμφη ἐξ ὄρεος κτλ.* Si vero Wilamowitzium (de Lycophronis Alexandra, Gryph. 1883., pp. 12. sqq) audimus, sub Lycidae persona latet Dosiades. Quod autem esse Lycidae nomine significatum Aratum suspicatus est Bergk., id ob has duas causas mihi displicet, quod Aratus in id. nominatim appellatur et quod Lycidas Cretensis nominatur. Nihil quidem, nisi quod commemoravit ille Battides, de Astacida Cretensi compertum habemus; unde colligendum est, si Lycidas idem est, eum fuisse aequalem Callimachi et Theocriti, neque vero fieri non potuit, ut sicuti fortasse ille Asclepiades, ipse Astacidas quoque in insulam Con profectus sit ibique notus esse coeperit Theocrito. Quamvis autem ille Lycidas et Astacidas veri pastores describantur, tamen non modo nomen Lycidae sed etiam ipsius Astacidae forsitan sit patronymicum, cf. Aesch. Sept. 407., quo l. Menalippi pater, Thebanus, Astacus nominatur, vel significet aliquem, qui in oppido quodam Astaco oriundus in insula Creta versatus sit. Sane quidem oppidum in Acarnania ad Acheloum fluvium situm eodem nomine significatur[3]) et alterum in Bithynia apud Nicomediam situm.[4]) Atque haec quidem hactenus.

Puerorum amatorum et puellae amatae nomina Ageanactis (vv. 52. 61. 69.), Philini (vv. 105. 118. 121.), Myrtonis (v. 97.), qui in deliciis sunt caprario Lycidae, Arato, Theocrito, omnia ficta esse nemo est quin videat. Atque Ageanactem quidem puerum, statuit Bergk.,[5]) non diversum esse ab Hegesianacte, illo qui Arati illustri exemplo excitatus Phaenomena scripsit[6]), quod opus posthabendum esse illi carmini Arateo opinatus est rex Ptolemaeus, id quod ex his versibus eius elucet: *πάνθ' Ἡγησιάναξ*[7]) *τε καὶ Ἕρμιππος τὰ καθ' αἴθρην τείρεα καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ φαινόμενα βίβλοις ἐγκατέθεντο, ἀποσκόπιοι δ' ἀφάμαρτον· ἀλλὰ τὸ λεπτολόγου σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει*,[8]) de Philino olim[9]) iam a me actum est, Myrtonem denique commenticio nomine non secus significari Fr. recte existimavit atque Lesbiam Catulli, Cynthiam Propertii, Tibulli Deliam. Neque de Molonis[10]) nomine (v. 125.) quicquam certi proferri potest, nisi rivalem Arati eum existimandum esse.

In eodem carmine commemorantur Daphnis et Comatas (vv. 83. et 89.), capra-

---

[1]) argum. id. VII. [2]) Strab. X. 4. 8. [3]) Thuc. II. 30. 1. [4]) Strab. XII. 4. 2. [5]) ind. schol. Hal. Viteb. 1861. p. V. [6]) cf. Fritzsch. I. p. 218. [7]) cf. Strab. XIII. 1. 27. [8]) Westerm. biogr. p. 55. [9]) Qu. Th. I. p. 21. [10]) at cf. Ahr. c. Junt. et v. l. in Scholl.

rius Siculus, qui Syr. v. 3. Cerastas nominatur.[1]) Atque fabulam inter pastores de Comata vulgatam Wuestem. (ad v. 78.) schol. fidem secutus ita narravit: „Comatas, Siciliae pastor, ex domini capris sacrificia interdum Musis parare solebat; qui male illud ferens Comatam in cistam ligneam inclusit, ut videret, num deae re vera ipsi opem ferrent; duobus mensibus interiectis cistam aperuit; pastorem invenit viventem et apum favis nutritum.“ Haec fabula similiter narrata atque ad Italiam inferiorem relata est a Lyco historico[2]), de quo scholiastes rettulit, Lycique in narratione pastoris mentio fit, cuius nomen non traditur. Sed cum Hieronem, cum infans expositus esset, apium opera melle nutritum, esse narraverit Iustinus[3]), non inepte Hauler. (p. 62 not.) suspicatus est, Hieronem cuius pueri sors fama late longeque divulgata fuerit, per Comatae divi personam in hoc Idyllio celebrari. Atque profecto, quod ap. Iustinum l. l. legimus, videtur manavisse e versibus ad gloriam laudemque illius Hieronis celebrandam a quodam poëta conscriptis, cui haud ignotum erat, Hieronem patri Hierocli, nobili viro, qui originem a Gelone, antiquo Siciliae tyranno, traxit, ex ancilla natum esse.

At tales versus de infantia prima Hieronis non compositos esse, antequam Syracusani sub Hieronis II. imperium dicionemque ceciderint, admodum verisimile est. Regiam autem potestatem obtinuit Hiero, quae Polybii quidem opinio est, a. 270[4]) a. Chr. n., posteaquam optimatibus adiuvantibus clam in urbem Syracusas venit, seditionem a popularibus conflatam restinxit, summa sapientia et moderatione statum civitatis ordinavit Mamertinosque, mercennarios milites, apud Mylas a. 271. (Droysen. Hellenism. III. 1. p. 296.) in fugam coniecit. Atqui Hauler.[5]) suspicatus est, id. VII. conscripsisse Theocr. inter annum 265. et a. fere 259. Quod si rectum est, Haulero assentiri minus dubito opinanti posteriore cantu, quem Tityrus aliquando recitaturus esset in Comatam, poëtae nostro propositas fuisse gloriam laudemque Hieronis II. regis celebrandas, cuius infantis ipsa educatio quasi praenuntia fuit futurae maiestatis. At qui conicit, et res, quae in id. VII. agantur, incidere in a. fere 280. et eodem fere anno id carmen conditum esse, quo Hiero, qui post illum annum rex factus est, non plus 30 annos natus fuit, eum illi coniecturae Hauleri assentiri vix licet.

Quamquam vero F. Schoell. in histor. litterar. Graec. II. p. 87. in medium iam pridem protulit, id VII. esse generis allegorici[6]) et plenum rerum facetius significatarum,

[1]) ut Pediasimus iudicavit (ap. Heins. p. 223.) ob eam causam, quia Comatas fuit pastor cornutorum. [2]) ap. Lycum, historicum Rheginum (cf. Westerm. p. 219.), cuius aetas in exitum saec. quarti a. Chr. n. incidit, vel patris vel vitrici Lycophronis (cf. Westerm. pp. 142 et 143.), qui digessit et retractavit comoedias, narratam esse hanc fabulam existimavit Hillerus. [3]) XXIII. 4. [4]) cf. Pol. VII. 8. 4. et 7. a. a. 306. natus atque mortuus est Hiero a. 216. (Droys. Hellenism. III. 1. p. 297. not. 2). [5]) p. 63. [6]) cf. Zettel „Theokrits Humor“, p. 21.

tamen negari non potest, nihil esse in illo cantu, quod orationem habeat ambiguam, atque, si sub Comatae nomine lateat Hiero[1]), Daphnidis quoque, cuius sub nomine in Bucolicis Vergilii nonnullis (cf. eclog. V. VII. VIII.) latere Julium Caesarem inde ab a. 42. a. Chr. n. ut deum cultum nemo est qui nesciat, personam induisse quendam coniectura iudicem.

Jam Meinekio, qui sub Tityri nomine latere Alexandrum Aetolum, non sine aliqua veritatis specie conicit[2]), assentiri non possum. Poëta ille elegiacus, qui Alexandreae in regia Ptolem. Philad. commorabatur, eius bibliothecae cum aliis viris praepositus, tragoedias digessit et retractavit. Sed etiam in numero poëtarum tragicorum Pleiadis habitus est eiusque aliquot epigramata hominum memoriae commendata sunt.[3]) Nititur autem, quod sensit Meinek., arg. id. VIII. hisce verbis: *Ἀλέξανδρος δέ φησιν ὁ Αἰτωλὸς ὑπὸ Δάφνιδος μαθεῖν Μαρσύαν τὴν μουσικήν*, e quibus elucere videtur, illum Alexandrum carmen in Daphnidem condidisse. Atque profecto, quod ille v. d. suspicatus est, certe omnium iudicio probatum esset, nisi permultos poëtas carminibus celebravisse Daphnidem constaret. Accedit quod Tityri nomine non poëtam, conditorem et tamquam eorum parentem carminum, quae ipse, cum Ageanax reverterit, recitaturus sit designari verisimile est, sed illum nullo nisi cantoris munere fungi, cuius opera poëtae carmen recitetur. Eodem nomine significatur id. III 2. Tityrus pastor, qui alius est atque ille.[4]) Lycopites[5]) autem homo et Acharnensis,[6]) pastores, scienter cantabunt tibiis, cum puer amatus redierit. Neque cum illam personam neque cum hasce personas quasi induxit poëta homines sibi notos ante oculos habuisse videtur.

Aristis denique[7]) nominatur, de eo amore non celatus, quo ardeat Aratus erga puerum pulchrum, qui sit utrum Philinus an alius nondum constat.[8]) Haec autem in vita eius Eratosthenis, cui erat cognomen Beta, prodita sunt: *μαθηταὶ δ'αὐτοῖ Μνασέας καὶ Μένανδρος καὶ Ἄριστις*,[9]) pro quo nomine proprio Bernhardy suspicatus est legendum esse *Ἀριστοφάνης*, cum illud nomen tueri conaretur Meineck.[10]), qui grammaticum Aristin et Aristin Theocriteum esse virum eundem et parem existimavit. At ille grammaticus temporibus multo posterioribus in lucem editus est, quam Aristis, cuius ad aures

[1]) priusquam Hauler. suspicatus est Hieronem delitescere sub Comata, Palmer. (Exercit. p. 301.) in opinionem venerat, illius caprarii personam indutam esse a Philoxeno ad carcerem lautumiarum a Dionysio tyranno damnato (cf. Tretz. Chil. X. histor. 358. vv. 842. sqq.); immo vero de illa notissima fortuna Sotadis cogitavit Fritzsch. a Patroclo, Ptolemaei Philadelphi satellite, quod ille verba acerbissima in Ptolemaei et Arsinoës matrimonium scripsisset, in mare praecipitati; at hae nuptiae incurrunt in tempus multo posterius quam quo id. VII. compositum est, quam ob causam adstipulari non licet illi coniecturae Fritzsch., qui ipse eam parvi aestimavisse videtur; de suspicione Meineck. cf. eius edit. p. 256. [2]) cf. Meinek. ad id. VII. 72. et p. 314. not. [3]) cf. Anthol. Gr. I. pp. 207. sq. [4]) cf. Verg. Buc. I. 1. III. 20. V. 12., Strab. X. 4. 12. Tityrus est mons Cydoniae (Cretae), qua in urbe ortus est Lycidas. [5]) Lycope est oppidum in Aetolia situm. [6]) v. 71. [7]) v. 99. [8]) cf. v. 105. [9]) Westerm. p. 368. [10]) ad v. 99.

amor Arati pervenit, quoniam de Eratosthene, illius grammatici praeceptore, l. l. haec leguntur: *μετεπέμφθη ἐξ Ἀθηνῶν ὑπὸ τοῦ τρίτου Πτολεμαίου καὶ διέτριψε μέχρι τοῦ πέμπτου.* Atqui *Ἄριστις*, sicut nomen Doricum *Τίτυρος* est idem quod *Σάτυρος*, est forma Dorica pro *Ἀριστίας*, quod nomen Sophoclis temporibus poëtam praeclarissimum satyricarum[1]) (et tragoediarum) habuisse inter omnes constat, cf. vit. Soph.[2]): *Σοφοκλῆς συνηγωνίσατο Αἰσχύλῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Ἀριστίᾳ κτλ.* Facile igitur accidere potuit, ut adulescenti cuidam, Theocriti amico, in poetarum societate interiore nomen inderetur Aristias vel Aristis., cuius cognominis (cf. Hor. Ep. II. 2. 101.: fit Mimnermus et optivo cognomine crescit) causa erat, quia ad exemplar illus auctoris accedere ille voluit, quem fuisse perfectissimum poëtam satyricarum, fortasse non iniuria,[3]) ratus ille adulescens aemulans ipse satyricas scripsit, sicuti Moschus Theocritum, quod nomen ipsi Mosch. impositum est,[4]) aemulans idyllia.[5]) Atque illius satyricis (et tragoediis) nosmet carere, valde dolendum est; etenim vates noster adulescenti tironi ac rudi summas laudes tribuisse videtur[6]): *ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδειν Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι* (inde ab ol. fere 82. Olympiae et ap. Delphos non modo *ἐπιδείξεις* habebantur, sed etiam poëmata recitabantur; prope Delphos erat theatrum). At irrito labore nos fatigemus, si, quis ille e numero poëtarum illorum temporum fuerit, coniectura assequi conemur, nisi forte Aristis est idem atque ille „Daphnidis et Lityersae“ [7])auctor, qui ab Atheneo[8]) Sositheus nominatur et ol. 124.[9]) (a. $\frac{284}{281}$ a. Chr. n.) floruit. Id quidem constat, Mazzonium putavisse, illud carmen, quod inscriptum est „Daphnis et Lityerses“ et cuius fragmentum servatum est, fuisse bucolicum (sane quidem sunt quaedam satyricarum similitudines cum genere bucolico) atque Sositheum similitudinem satyricarum aetate Periclea compositarum secutum esse et conscripsisse „*ποιήματα*“.

Sed Bergkius Aristidis nomine significari Aristarchum Samium coniecit; atque profecto si nil nisi tempora., quibus ille Aristarchus fuit, spectandum esset Bergkio assentiremur, nam Arstarchus erat aequalis Theocriti. At similitudo nominum ad illam coniecturam probandam magnum momentum afferre non potest neque enim carmina illum astronomum condidisse ullo loco memoriae traditum est, sed eum et pro certo affirmavisse terram non modo circa axem suum sed etiam quasi linea ecliptica circa solem verti, et laesae religionis

[1]) cf. Diomed., ed. Putsch. p. 485. [2]) Westerm. p. 131. [3]) cf. Otfr. Mueller. histor. litter. Graec. II. p. 38. [4]) cf. Qu. Th. l. p. 14. [5]) cf. Qu. Th. l. pp. 5. sqq. [6]) vv. 100. sq. [7]) cf. id. X. 41.: „audi et haec, quae sunt divini Lityersae (cod. k.)“, et quae scholiastes ad hunc locum adnotavit, et Welcker. l. p. 11. et Snow. p. 154.: there was a legend about a man of this name who, after hospitably receiving strangers, used to compel them to go out and reap with him, and end by murdering them; there appears no allusion to that here, but only to the name as connected with the earliest accounts of reaping and of reapers' songs. [8]) X. 415. [9]) cf. Westerm. p. 152. II. 63. sq.

accusatum esse imprimis Archimedes et Plutarchus commemoraverunt. Itaque ille astronomus nomine Aristidis vix designatus est neque Ariston[1]) Cous[2]) sub nomine illius poëtae[3]) delitescit. Quid dicam, Meinek.[4]) opinatum esse, quod Aristin, dicat Theocritus, scire, quanto amore pueri Aratus exarserit, id esse indicio videri, amores Arati carmine celebravisse Aristin huiusque ipsius poëtae aemulum Theocritum carmine suo Arati amici amores persequi? Fritzschium autem Meinekio assensum esse, perperam confirmavit Hempel.[5]) Etenim quomodo ex illo verbo *οἶδεν*[6]) colligi possit, Aristin amores Arati carmine celebravisse, minime apparet, immo ex illo loco nil demonstrari potest, nisi Aristin, qui amicus Arati fuerit, certo scire, hunc amore percussum esse.

Quo autem loco et quo tempore res id. VII. enarratae agantur atque quo tempore et quo loco illud carmen conditum sit, iam exponendum est. Hi sunt vv. 1. sq. eius: *ἦς χρόνος ἁνίκ' ἐγώ τε καὶ Εὔκριτος ἐς τὸν Ἄλεντα*[7]) *εἵρπομες ἐκ πόλιος, σὺν καὶ τρίτος ἄμιν Ἀμύντας.* Sed etiam lectio *Ἅλεντα* spectanda est, qua usi sunt Heinsius Gailius Geel. Jacobs. Meinek. Wuestem. Grever. Fritzsch. Rumpel. Pal. Snow. *Ἄλης* (gen. *Ἄλεντος*) est fluvius apud Colophonem[8]), qui etiam *Ἅλης* in Pausaniae codicibus scribitur, porro fluvius in Lucania a Romanis Hales (gen. Haletis) nominatus est (cf. id. V. 123., q. l. Ahrens. Ziegler. Hiller. non aliter atque in id. VII. *Ἅλεντα* scripserunt et amniculus nobis ignotus, non ille fluvius Lucanus, significatur), et Halex fluvius[9]) in Italia inferiore Rheginum a Locrensi agro dividit. At ei scholiastae, qui commemoravit: *Ἀλεὺς ἢ δῆμος τῆς Κῶ οὕτω καλούμενος ἀπό τινος Ἀλέντος, ἢ τόπος ἐν Κῷ οὕτως ὀνομαζόμενος ἀπὸ Ἀλεντίου τινὸς βασιλέως. ἔστι δὲ Ἀλεὺς καὶ ποταμὸς Σικελίας,*[10]) aliam quandam lectionem ante oculos fuisse credibile est. Quae cum ita sint, Fr. coniectura, initio aliud nomen proprium h. l. scriptum esse nomenque fluvii ex id. V. 123. esse illatum, credibilis videtur. Neque vero inde quicquam colligere licet, quod haec verba Moschi (?) prodita sunt: *ἔν τε πολίταις Τριοπίδαις* (q. e. Cois) *ποταμῷ θρηνεῖ παρ' Ἄλεντι Φιλητᾶς,*[11]) quae cum vv. 94. sqq. e Theocrito esse illata videantur. At neque de ea re, de qua Nicanor Cous, qui Theocriti carmina interpretatus est, teste scholiasta meminit: *Βούρινα πηγὴ ἐν τῇ νήσῳ Κῷ ἐστιν, ἣ τὸ ἀφ' ὕψους καὶ τῆλε βοὸς ῥινὶ παραπλήσιος,*[12]) dubitari neque contra id, quod scholiastes commemoravit: *κρήνη ἡ Βούρινα τῆς Κῶ*[13]), recte disseri potest. Immo vero, cum a Clytia Phrasidamus et Antigenes originem ducant, apud quos Simichides diem festum degit, nescio an ea verba, quae in scholiis sunt:

[1]) qui c. a. 50. a. Chr. n. videtur in vivis fuisse. [2]) cf. Strab. XIV. 2. 19. [3]) poëtam fuisse Aristin, ipsa Theocriti verba indicant, cf. Meinek. p. 257. [4]) p. 257. [5]) p. 54. [6]) v. 99. [7]) cod. Med. p. [8]) Pausan. (ed. Schubart. et Walz.) VII. 5. 10. VIII. 28. 3. [9]) cf. Thuc. III. 99. et Strab. VI. 1, 9. [10]) Ahr. II. p. 237. [11]) Mosch. (?) III. vv. 98. sq. [12]) Ahr. II. p. 240 II. 17. sq. [13]) Ahr. II. p. 240. II. 13. sq.

ἧν ἡ Κλυτία θυγάτηρ Μέροπος,[1]) demonstrent rectum esse, quod legimus in argum. huius idyllii: τὰ πράγματα διάκειται ἐν Κῷ;[2]) nam Meropes nomen priscum incolarum Coi insulae fuit, quam Callim. in Del. 160. Μεροπηΐδα νῆσον dicit, et significatio Κῶς ἡ Μεροπίς perquam usitata fuit[3]), et filia Meropis fertur nominata esse Cos, quo e nomine insulae Coo, cuius caput antiquitus vocabatur Astypalaea[4]), illud nomen inditum est. Neque vero id, quod scholiastes ad illud sepulchrum Brasilae[5]) adnotavit: ὁ Βρασίλας Κῷος, ni opinio me fallit, in dubium venire potest. Porro affertur oppidulum Pyxa in eis versibus, quorum ad eum locum reperiendum, quo Lycidas et Simichides carmina sua pronuntiaverint, ratio habenda est. Quamquam illud nomen nusquam nisi hic legitur, tamen de ea re, quam scholiastes in medium protulit: (ἐν Κῷ) τόπον, ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀπόλλωνος, Ahr. II. p. 278. ll. 8. sq., controversiam inferre non licet. Quid enim verisimilius, quam illud ἱερὸν Ἀπόλλωνος esse Aesculapii templum, de quo mentionem fecit Strabo[6])? Plane enim et dilucide tradidit ille geographus, Epidaurum maxime notuisse propter Aesculapium, qui ibi nobilitatus sit credaturque omnis generis morbos depellere semperque templum habeat refertum aegrotantium ac tabellis votivis, in quibus, quo modo quisque sanus factus sit, consignatum exstet, sicut in insula Co. Atque profecto Aesculapium esse filium Apollinis, dei salutiferi, scriptores historiae fabularis docuerunt, et haec cognomina Apollini imposita sunt: medicus averruncus ἀκέσιος[7]) Παιήων[8]) Paeon Paean[9]) sospitator. Atque eodem modo cognomen φύξιος[10]), quod Jovi quoque, Apollinis patri, datum est, explicandum esse puto (cf. Preller. myth. Gr. I. pp. 112. sq. et 196.). Nec vero solum medicae artis peritus, qua a gregibus quoque morbos capitales arceat, Apollo describitur sed etiam pastor, qui lupum ab armentis gregibusve propulset (λυκοκτόνος, Pind. Pyth. IX. 66.: ὀπάων μήλων). Etiam nomina Hyetidis et Byblidis, quae sunt in carmine Simichidae[11]), commemoro, quibus in insula Co scenam carminis esse quodam modo demonstratur. Fontes erant prope Miletum. Quid enim magis consentaneum est, si recte iudico, in insula Co adulescentes artis medicae studiosos praeceptorum praeclarissimorum opera artem medicam non primis modo labris gustavisse, quam a Theocrito Niciam, qui postea medicus Mileti fuit, cum artis medicae ediscendae causa Co commoraretur, in hac insula penitus cognitum et amatum esse? Itaque dubito an poëta noster Niciam Mileti interviserit atque occasione oblata illos fontes contemplatus sit et fabulam de Amoribus

[1]) Ahr. II. p. 288. l. 14. [2]) Ahr. II. p. 18. [3]) cf. Pausan. VI. 14. 12. Thuc. VIII. 41. 2. Strab. XV. 1. 3., 1. 33. [4]) Strab. XIV. 2. 19. [5]) v. 10. [6]) VIII. 6. 15. [7]) Paus. VI. 24. 6. [8]) medicus deorum Hom. Il. V. 401. 899. Od. IV. 232. [9]) velut Eur. Jon. vv. 125. et 141. [10]) cf. Ahr. II. p. 278. l. 19. [11]) v. 115.

et Venere divulgatam ad Hyetidem et Byblidem referendam cognoverit. Neque enim a Co insula, quae prope oram Cariae sita est, Miletus procul abest.[1])

At nonnihil dubii habet v. 65., qui est in carmine Lycidae: τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρατῆρος ἀφυξῶ, et quod scholiates ad nomen Πτελέα adnotavit: Πτελέα τόπος ἐν Κῷ, nam primum vinum, quod ad Ephesum serebatur, quae urbs ipsa Ptelea quoque nominata est[2]), non minus celebratum fuit quam Coum[3]), deinde etiam πτελεατικόν (sic Meinek. Fritzsch. Snow.) scribitur[4]), denique iam veterum interpretatorum opiniones diversissimae fuerunt, ex quo locorum hic allatorum aliorumque, quibus idem nomen erat, vinum a Theocrito significatum nomen traxerit.

Sed minime fieri potest, ut haec sit causa, ob quam iudicem, res id. VII. non in insula Co agi. Neque vero dubitari recte potest, quin scholiastes haec e nomine Oromedontis inconsulte ac temere effecerit coëgeritque: Ὠρομέδων (v. 46.) ἐστὶν ὄρος ἐν Κῷ ὑψηλότερον τῶν ἐν τῇ Κῷ ἑτέρων ὀρέων. Contra iam Wuestem. haec disputavit: si tanta montis alicuius in illa insula altitudo fuisset, ut talis inde comparatio duci potuerit, unus saltem ex veteribus eum commemoraret. Quam ob causam Fritzsch. nomen εὐρυμέδοντος, quod aliquot codd. deterioris notae praebent, recepit; quo significari regem Ptolem. Philad. „late tyrannum"[5]) Fr. aliquamdiu opinatus est. Atque c. a. 280.[6]) Ptol. Philad. iam quintum annum regnabat, attamen ille v. d. ipse sententiam postea (cf. I. p. 217.) mutavit cum adiectivo εὐρυμέδοντος coniungendum esse ratus substantivum ὄρευς. Atqui Propertius de Oromedonte, Gigantum rege, mentionem fecit[7]) et Homerus[8]) Eurymedontem, regem Gigantum, nominavit atque quin diversitas lectionum nostri loci e nominibus illorum duorum Gigantum nata sit vix potest dubitari. Strabo[9]) autem memoriae prodit, quod Nisyrus insula avulsa sit ab insula Co, hoc modo quasi illustratum et explanatum esse: Neptunum, cum quondam Polybotem Gigantem persequeretur, frustum insulae Coae tridente defractum ineum coniecisse, quod frustum iam insula Nisyrus esset, sub qua iaceret ille Gigas. Pergit autem ille geographus commemorare: „τινὲς δὲ αὐτὸν (sc. Polybotem) ὑποκεῖσθαι τῇ Κῷ φασιν." Atque fieri potuit, ut poëtae Gigantas (cf. Preller. I. pp. 56. sq.) in domibus habitantes describerent, cf. Homer. Od. X. 111.: ὑψερεφὲς δῶ[10]) sc. Laestrygonium. Quae cum ita sint, Theocritum existimo e fabula de Gigante Polybote vel Ephialte (cf. Preller. I. p. 60.) divulgata, qui insulae Coae suppositus esset, Lycidam illam synecdoche adhibita dicentem fecisse displicere ipsi architectum, qui montis instar aliquam domum

[1]) an Nicias ab ipso Theocrito petiverit, ut epigr. VII. condat, quod insculptum sit in Asclepii statua, nescio, quam Nicias Eetioni, simulacrorum sculptori, negotium dederit ut faciat. [2]) schol. VII. 65. [3]) Strab. XIV. 1. 15. [4]) cf. Fritzsch. ad hunc locum. [5]) cf. id. XVII. vv. 75 sqq. [6]) cf. infra. [7]) IV. 8. 48. [8]) Od. VII. 58. [9]) X. 5. 16. [10]) cf. Od. X. vv. 112. sq.

Oromedontis exstrueret; ut enim magis sub aspectum veniret, quod dictum voluit, aliquod nomen Gigantis ad nomen δόμον adiecit poëta pro „a giant's house" (Snow p. 140). Neque aliter praeter Hermann.[1]) iam Wuestemann. illum locum interpretatus est, cum adderet: utcumque vero de lectione huius loci statuis, id certum est, Theocritum his versibus pravam suae aetatis consuetudinem perstringere voluisse, immensa et omnem modum excedentia excitandi aedificia; ex quo enim tempore Asia bello succubuerat Macedonum armis, Graeci, Alexandri potissimum secuti exemplum, multa immensae molis aedificia exstruebant. Neque vero eam ob causam, quod in eis versibus, in quibus Comatam celebrat Lycidas, fabulam ex Italia inferiore esse mutuatus videtur poëta, neque eam ob causam, quod quercus ad ripas Himerae fluminis[2]) crescentes morte Daphnidis in sollicitudinem adductas[3]) commemorat, ut sententiam remittamus, quae his verbis argumenti nititur: τὰ πράγματα διάκεινται ἐν Κῷ (cf. Ziegler. p. 194.), commovemur, de qua re non opus est verbis.

Sed Heinsius et Manso in insula Sicilia scenam esse probare conati sunt hic in priore editione[4]) Bion. et Mosch. ille in Lect. Theocrit.[5]) et G. Hermann[6]) in Italia inferiore agi res nostri carminis coniecit, id quod paulo credibilius est quam illorum v. d. coniectura. Atque huic v. d. nomina Pyxae et Halentis, quae in Lucania quaerenda sint, argumento fuerunt, et Veliam esse id oppidum, quod non nominatim appelletur v. 2. (εἵρπομες ἐκ πόλιος), suspicatus est. Atque primum notiorem illum Haletem esse eum fluvium, qui et id. VII. 2. et V. 123. memoretur, statuit. At in id. V. Lacon pastor, qui quasi scenam introit, servus Sibyrtae[7]) Thurini[8]) appellatur. Hales igitur ille quoniam Thuriis haud ita prope abest, id. V. 123. intellegi non potest, atque id. VII. 1. fluvii nomen non recte proditum esse, non temere confirmo[9]). Jam quod attinet ad nomen Pyxae, quo Buxentum in Lucania situm intellegendum esse opinatus est Herm., ne unus quidem locus afferri potest, quo Buxentum oppidum Pyxa nominata sit, sed illi priori oppido Lucano, ubicunque occurrit, nomen Πυξοῦς[10]) (gen. Πυξοῦντος) est.

Ad definiendum id tempus, quo illi tres amici, ut sollemnibus ob messem opimam a Phrasidamo et Antigene institutis intersint, ad villam eorum se conferant, amor, quo Aratus puerum quendam prosequitur (nondum satis constat quem), esse aliquanti momenti et ponderis mihi videtur. Nam si certum esset nomen Arati deliciarum, illae fortasse iam pridem ab Arato amatae a Simichide celebrarentur. Immo potius et de commercio Arati v. 122. ita adulescens Simichides meminit, ut certe ille eiusdem fere aetatis sit, et

---

[1]) opusc. V. p. 80. [2]) Pol. VII. 4. 2. [3]) v. 75. [4]) proleg. pp. XLVI. sq., in posteriore editione Bionis et Moschi auctoritati scholiastae Manso cessit. [5]) c. XII. p. 335. [6]) opusc. V. p. 79. [7]) vv. 5. et 72. [8]) v. 72. [9]) cf. supra. [10]) Meinek. p. 246., cf. Strab. VI. 1, 1.

nondum diu eius pueri cupiditate Aratum eo tempore, quo Simichides illud carmen recitat, inflammatum esse, facile inde colligi potest, quod Simichides, quamvis suspicetur ab Arato in deliciis haberi Philinum, tamen id non certo scit. Quis vero esset (nomen falsum Philini non dissimiliter intellegendum est atque nomina Lesbiae Catulli[1]), Cynthiae Propertii, quae Tibure nata erat[2]), Deliae[3]) Tibulli) ille puer, quem Aratus amore amplectebatur, eo loco, quo ista res amatoria agebatur, qui situs erat in Co insula haud ita magna (cuius magnitudo secundum Strabonem[4]) stadiorum est circiter quingentorum quinquaginta et cuius caput oppidulum est) celerrime ad aures hominum permanasset (cf. Hor. Epod. XI. vv. 7. sq.). Nihil autem verisimilius est quam illud accidisse, priusquam hic vir Solensis in domo regnatrice Antigoni Gonatae, Macedonum regis, fuit. Atqui Cos insula ex arte medica, quam ibi didicerunt adulescentes illius artis studiosi, antiquitus clara fuisse videtur. Nam erat in ea templum Aesculapii[5]) et iam Hippocrates, qui temporibus belli Peloponnesiaci floruit, in ea medicinam et docuisse et exercuisse et opera medica conscripsisse Asclepiadis adnumeratus traditur eiusque discipulus Dexippus fuit homo Cous[6]). Hi autem sunt librorum Arati medici[7]) tituli: *σύνϑεσις φαρμάκων*,[8]) *ἀνατομή, ἰατρικαὶ δυνάμεις*[9]) alii, quibus eum partem aetatis contrivisse in studiis artis medicae confirmatur, et ipsum quoque argumentum Phaenomenorum et Diosemeorum, quae conscripsit auctore Antigono Gonata, est perscrutatoris naturae. Quid igitur obstat, quominus opinemur, Aratum artis medicae discendae causa in illa insula aliquamdiu commoratum esse? At quando illud factum est? Sine ulla dubitatione ante id tempus, quo in Macedoniam immigravit, quod fecit c. a. 276,[10]) postquam per plures annos Athenis versatus est.[11]) Neque ita multo postquam res id. VII. actae sunt, ex insula Co discessisse videtur, ut c. a. 280. a. Chr. n. res huius idylli actas esse non temere, nisi omnia me fallunt, confirmem.[12])

Quoniam igitur c. a. 276. atque id quidem non ad tempus sed in perpetuum, ut Suidas diserte et plane affirmavit,[13]) quamvis Aratus fortasse iam inde ab a. 274. a. Chr. n. aliquamdiu apud Antiochum commoratus sit (cf. Hempel. p. 92.), in aulam Macedonicam profectus est, postquam Athenis diutius commoratus est, et in insula Co, secundum ea quae dixi, aliquot annos versatus est, in sententiam Useneri ire non possum,

---

[1]) cf. Ovid. Trist. II. 427.: sic sua lascivo cantata est saepe Catullo femina, cui falsum Lesbia nomen erat. [2]) cf. Propert. V. 7. 85. [3]) cf. Apulei, philosophi Platonici Madaurensis, Apolog. 10.: accusent . . . Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu (planus est idem quod delos). [4]) XIV. 2. 19. [5]) cf. supra. [6]) Westerm. p. 457. [7]) cf. Arat. vit. II. (Westerm. p. 56.) [8]) cf. Westerm. p. 61. ll. 12. et 15. [9]) Westerm. p. 56. l. 9. [10]) cf. vit. Arat. ap. Westerm. p. 60. l. 12., Hempel. p. 51.: anno $\frac{277.}{276.}$ a. Chr. n., cum Antigonus Gonatas Philam, Antiochi sororem, in matrimonium duceret, Droys. III. 1. p. 197. not. 2.: mit Persaios geht Aratos von Soloi um die Zeit der Hochzeit mit Phila. [11]) Qu. Th. I. p. 27. [12]) cf. Hempel. p. 51. [13]) cf. Qu. Th. I. p. 28.

qui haec scripsit:[1]) es ist deutlich, dass die Katastrophe, welche durch Pyrrhus Rückkehr aus Italien über Antigonus (apud quem tum Aratus versabatur) hereinbrach, den litterärischen Kreis des Makedonischen Hofes zersprengte und den Aratus zunächst nach Cos (c. a. $\frac{274}{273}$ a. Chr. n.), dann zu Antiochus führte, bis die gesicherten Zustände Makedoniens seit 272 ihm die Rückkehr gestatteten.

Dignissima autem, quae probetur, videtur esse opinio Hauleri[2]), a Simichide in carmine in Arati amores condito propterea Pana[3]) implorari, quoniam Aratus hymnum in illum filium Mercurii fuderit (quem ipsum quidem in universum a pastore implorari[4]) facile intellegi potest[5])). Arati enim in vita III. haec verba sunt[6]): *ἐπισταθεὶς (Ἄρατος) τῷ βασιλεῖ πρῶτον μὲν αὐτοῦ ποίημα ἀνέγω τὸ εἰς τὸν Πᾶνα τῆς Ἀρκαδίας,*[7]) *εἶτ' ἐκείνου κελεύσαντος ἔγραψε τὰ φαινόμενα.* Quod ipsum carmen in Pana c. a. 276. a. Chr. n. Macedonum regi recitavit et condidisse videtur Aratus. Attamen negari non potest, Theocritum eodem modo fortasse aliud quoddam carmen eiusdem Arati in Pana significavisse, quia in vita e Suida haec leguntur:[8]) *συνέταξε Ἄρατος ὕμνους εἰς Πᾶνα.* Sed Hempel.[9]) suspicatus est, de illo in Pana hymno posteriore tempore regi Macedonum recitato Theocritum quodam modo mentionem fecisse iam in carmine Simichidae (cf. haec verba Hempel.: tradidit igitur Aratus hunc hymnum Antigono anno fere 277. a. Chr. n., ex qua re mea sententia non sequitur, carminis Theocritei res post hunc annum, ut censet Hauler, actas esse; immo recte statuere mihi videor, Aratum hymnum illum antequam Pellam sese contulisset iam composuisse et res eo celebratas eum amicis Coensibus communicavisse, ut facillime Theocritus id carmen significare posset iam ante a. 277. a. Chr. n., scil. c. a. 280. a. Chr. n.). At mihi parum verisimile videtur, Aratum id carmen, quod c. a. 277. vel 276. recitavit, iam ante res id. VII. actas, quae in a. fere 280. incidunt (rem amatoriam Arati fuisse non multo ante, elucet ex eis, quae supra exposui), composuisse, namque a. 277. carmen perfectius quam a. 280. a. Chr. n. condiderit.

Restat, ut quaeram, quo tempore et quo loco hoc idyllium compositum sit. In argumento eius haec verba tradita sunt: *ἐπιδημήσας*[10]) *τῇ νήσῳ Κῷ ὁ Θεόκριτος, ὅτε εἰς Ἀλεξάνδρειαν πρὸς Πτολεμαῖον ἀπῄει, φίλος κατέστη Φρασιδάμῳ καὶ Ἀντιγένει, Λυκωπέως υἱοῖς.* Quod si rectum est, id quod confirmavi de tempore, quo carmina Lycidae et Simichidae recitata sint, procul dubio remittendum est, et id quod iudicaverunt v. d., postquam Theocritus Syracusis commoratus sit et antequam Alexandream commeaverit, id. VII. compositum esse, ad id quoque tempus referendum est, quo res huius idylii actae

[1]) Rhein. Mus. N. F. XXIX. p. 42. [2]) p. 13. [3]) v. 103. [4]) v. 92. [5]) cf. supra. [6]) Westerm. p. 58. [7]) cf. v. 107. [8]) Westerm. p. 61. [9]) p. 51. [10]) quod attinet ad aor., cf. Lys. c. Eratost. 38.

sint. Nam contra eam sententiam, quae per se ipsam esse verisimillima videtur, Theocritum scripsisse hoc carmen non multo post illum diem festum, qui scribendi ansam dederit, disserere, ni fallor, non licet propter perspicuitatem rerum descriptarum.

In verbis autem allatis argumenti nituntur opiniones Hauleri[1]) et Eberzii[2]), qui quin eas non prolaturi fuerint non potest dubitari, nisi legissent hoec verba: *ὅτε εἰς Ἀλεξάνδρειαν πρὸς Πτολεμαῖον ἀπῄει,* quae in argumento id. VII. posteriore desunt, quod continere videtur partem argumenti prioris correctam. Fortasse vero auctor argumenti prioris est Munatus, quem statuisse, Theocritum cum Phrasidamo et Antigene in viam se dedisse, ut participes essent sollemnium ob messem opimam Cereri institutorum, in argumento posteriore contenditur. Quae si ita sunt, puto in argumento priore haec verba rectissime prodita, quamvis perperam prolata, a primo lecta esse: *καὶ κληθεὶς ὑπ' αὐτῶν εἰς ἀγρὸν ἐπὶ Θαλύσια Δήμητρος ἄπεισι μετὰ Φρασιδάμου καὶ Ἀντιγένους,* quae auctor argumenti posterioris merito castigavit et emendavit. Quoquo autem modo haec res se habet, si Munatus auctor prioris argumenti fuit exceptis verbis *μετὰ Εὐκρίτου καὶ Ἀμύντου,* quae in priore argumento iam emendata sunt, eorum verborum, quae non pluris quam aliqua coniectura aestimanda sunt: *ὅτε εἰς Ἀλεξάνδρειαν πρὸς Πτολεμαῖον ἀπῄει,* quo iudicio procul dubio fuit Munatus, fides recte in dubium vocari potest atque in argumento posteriore nulla verba nisi haec illo loco leguntur: *ἐπιδημήσας ὁ Θεόκριτος ἐν Κῷ ἐφιλιώθη Φρασιδάμῳ καὶ Ἀντιγένει, τοῖς Λυκωπέως υἱοῖς.* Etenim quam verba perscrutatoris aridi et exsanguis sequi, adulescentiam floridam sapere eos versus intellegere malo, in quibus agitur de amicorum commercio mutuo, de consuetudine laeta et hilari, de amoribus, de osculis et poculis. At a. 262., quem fere annum esse natalicium id. VII. coniecit Hauler.[3]), verisimillimum est, Theocritum iam c. 45 annos natum fuisse[4]) (ut Hauler. putat[5]), poëta a. 262. a. Chr. n. c. 38 annos natus fuit).

An probabile est, Theocritum adulescentiam iam pridem circumactam memoria repetentem hos versus conscripsisse? id quod opinatur Hempelius, qui profitetur, sapere adulescentiam[6]) totum nostrum carmen, quamquam c. a. 248. a. Chr. n., quo fere

[1]) p. 63.: anno 265. Syracusis et c. a. 259. Alexandreae est versatus poëta . . .: itaque maxime est versimile, Theocritum inter a. 265. et a. fere 259. id. VII. conscripsisse. [2]) pp. 8. sq.: Theocr. scheint während des zwischen 265. und 259 fallenden Aufenthaltes in Kos zur bleibenden Erinnerung an die mit Freunden und Bekannten schön verlebte Zeit eben das VII. Gedicht abgefasst und wohl vor seinem Abschied und seiner Abreise nach Alexandrea seinen Freunden überreicht zu haben. Und so klingt denn auch der zum Schluss dieses Gedichtes angebrachte Wunsch (v. 156. f.) wie ein von Wehmut durchzogener Abschied aus dem Kreise der Freunde, cf. Susemihlii Anal. Al. Chronol. I. p. 14. [3]) p. 64.: ex quo sequitur, carmen VII. verisimiliter c. a. 262. esse conscriptum. [4]) cf. p. 1. [5]) p. 17. [6]) cf. Hemp. p. 52.

anno Theocritus illius opinione id condidit, quinquaginta fere duos annos, ne dicam plures, eum natum fuisse, illum concedere necesse est, qui putat[1]) vatem nostrum c. a. $\frac{305}{300}$ natum esse. At qua re is, qui, postquam iam Wuestem.[2]) sententiam dixit, ante a. 284. a. Chr. n. res huius idyllii agi carmenque ipsum eodem fere anno in insula Co conditum esse, ipse rectissime protulit, c. a. 280. a. Chr. n. Aratum ibi versatum esse, ad illam opinionem sane pravam adductus est? Ob hanc unam causam, quia errore caecatus est, vv. 45. ad 48.: *ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται κτλ.*[3]) Apollonium Rhodium perstringi[4]). Quod meo quidem iudicio admodum reprehendendum est, nam quidni alius epicus hisce versibus improbatus esse possit? videri potest vates noster stultitiam agitasse Antagorae Rhodii, qui simul cum Arato apud Antigonum Gonatam in arte poëtica praeclare postea constitit, quamvis haud integra esset existimatio eius ganeonis, qui Thebaida fortasse iam a. a. 288. condidit,[5]) quod poëma Boeotii oscitantes adversis auribus acceperunt, vel Herodori Pontici, qui ipse quidem Argonautica[6]) ab Aristotele lecta annis prioribus contexuit, quae teste scholiaste Apollonii Rhodii[7]) huic ante oculos fuerunt, cum Argon. conscripsit.

Merkelius quoque, Apollonii Rhodii editor, versibus paulo superius significatis Apollonium Rhodium perstringi negavit. Versus Theocriti notissimos, statuit[8]), id. VII. 45. ad 48., quibus architectos notet, qui domos struere velint *ἶσον ὄρους κορυφῇ*, et poëtas traducat, qui imitando Chio vate satagant et balbutiant, in Apollonium scribi non potuisse, si ipsum illud idyllium adulescentiae Theocriti adsignandum sit.

Sunt autem id VII. vv. 92. sq. haec: *Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν ἀν' ὤρεα βουκολέοντα ἐσθλά, τά που καὶ Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.* Quo loco coniecit primus Reisk. illo *Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον* regem Ptolemaeum significari,[9]) quod etiam verisimilius esse puto, si confero Hor. Ep. I. 19. 43.: „Jovis auribus ista servas", quae verba, ni fallor, ad Octavianum referenda sunt, quem quisque tamquam superiorem quandam naturam nomine Augusti honoris causa ornavit, et Callimachi hymnum in Jovem, q. e. Ptolomaeus Philadelphus, quem eo modo celebravit ille Theocriti aequalis. Neque vero facile ad intellegendum est, quam ob causam Hempel.[10]) addubitet, utrum illo loco Theocriteo intellegendus sit Philadelphus an alter Ptolomaeus. Atque ab Hempel. afferuntur illi versus, e quibus documentum capere vult, cum eos, ut Hempel suspicatur c. a. 248. a. Chr. n., Theocritus scriberet, eum summum poësis quasi fastigium iam ascendisse et in nobilissimis poëtis Aloxandrinis numeratum esse. Itaque Hempelium ipsum concedere necesse est, poëtam diversa tempora

[1]) p. 16. [2]) p. 109. [3]) cf. Athen. III. p. 72. A. [4]) quem c. a. $\frac{248}{245}$ primum Argonautica edidisse p. 61. statuit. [5]) cf. Westerm. p. 58. l. 17. et Susemihl I. p. 3. [6]) cf. supra. [7]) cf. Merkel p. 539. s. v. Herodori. [8]) p. XXV., cf. Ar. Ran. 93. [9]) cf. schol. id. XVII. 1. [10]) p. 61.

vitae suae confudisse. At parum scite hos versus ad Ptol. Philad. rettulit poëta noster[1]), si gloria aetatis gradus illustrissimi commotus eos condidit, si modo illum regem ingeniosum, qui mortuus est a. $\frac{247}{246}$ a. Chr. n.[2]), opera ipsius cognovisse, Theocr. c. a. 248. certo scivit, cum in illis versibus poëta coniciat (cf. *πού*), carmina sua a Philadelpho lecta esse. Neque vero concedo, cum poëta summum poësis tamquam fastigium iam ascendisset et in nobilissimis poëtis Alexandrinis numeratus esset, illa verba scripta esse, si modo v. 41. haec scripsit: *βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω*[3]). Talia verba dubito an non cadant nisi in adulescentem, atque hoc loco (v. 41.) poëtam quasi in scaenam prodire Simichiden adulescentem, illo (vv. 92. sq.) Simichiden, qui iam sit in aetate seniorum, parum verisimile est.

Philetam vero Coum[4]) eo tempore, quo res huius idyllii agantur (c. a. 280. a. Chr. n.), diem supremum nondum obisse, e vv. 39. ad 41. conici posse manifestum est, quoniam Asclepiades Samius c. a. 280. a. Chr. n. floruit et „in idem fere tempus incidit cum Phileta"[5]) atque eodem modo Teuffelius[6]) ex Verg. Bucol. IX. 35. collegit, a. 40. a. Chr. n., quo fere illa ecloga condita est, C. Helvium Cinnam tum etiam in vivis fuisse (L. Varius Rufus, quem Lycidas eodem versu et eodem modo quo Cinnam ap. Vergil ut exemplar suum praedicat, c. a. 14. a. Chr. n. mortuus est[7])). At Hempelius, qui[8]) illos poëtas Theocriti praeceptores fuisse ex l. l. cum interpretibus veteribus conclusit et Asclepiadem Samium et ipsum Co tunc habitavisse et floruisse ex his verbis collegit:[9]) *οὔτε τὸν ἐσθλὸν Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω*, scil. qui Samo huc se contulerit, quoniam poëta non dicat *τὸν Σάμιον* neque *τὸν ἐν Σάμῳ*, Philetam iam c. a. $\frac{288}{285}$ mortuum esse existimavit.[10]) Quodsi Hempelii sententia recta est, poëta, quo tempore est quinquaginta fere duos annos natus,[11]) ne dicam plures, et cogitatione se fingit adulescentem „viginti fere annorum", haec dicit: nondum neque Siceliden (qui adhuc in vivis est) neque Philetam (qui iam mortuus est) cantando vinco, sed ut rana cum locustis contendo.

Quid dicam de ea sententia, in qua Hempel. videtur esse, cum dicit, verba *ἦς χρόνος ἀνίκα* (v. 1.) aliter converti non posse nisi ita: „fuit quondam (sc. abhinc triginta fere duos annos) tempus cum?"[12])? quod minime potest approbari, quamquam Fritzsch. eodem modo convertit, qui contulit haec verba exordii orationis Protagorae Platonici (c. XI.): *ἦν ποτε χρόνος ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν*, sed ne ipse quidem multo post eum diem fe-

[1]) si sentirem, c. a. 248. id. VII. conditum esse, proverbialem esse illam locutionem, sicut fortasse apud Horat., statuerem, cf. Meinek. p. 257. [2]) Droys. III. 1. p. 379. not. 1. [3]) cf. Verg. Bucol. IX. 36. [4]) cf. Propert. IV. 1. 1. [5]) cf. Hauler. p. 10. [6]) Histor. litter. Roman. 213. n. 2. [7]) cf. Teuffel. 223. [8]) p. 12. [9]) cf. Hempel. p. 15. [10]) p. 14. [11]) cf. Hempel. p. 16. [12]) Gail. et Kiessling. recte converterunt: „tempus erat cum."

stum, qui scribendi ansam dedisset, id VII. conditum esse existimavit.[1]) At contra eodem iure putamus, quae Simichides narret, ea brevi ante accidisse, quod ex illis verbis colligere possumus, res nostro idyllio actas aut multo ante aut brevi ante eas accidisse. Neque aliter adverbium *πρᾶν*, q. e. *πρό-αν*, significat tempus, quod nuper fuit, velut id. II. 115.: *πρᾶν ποκα τὸν χαρίεντα τρέχων ἔφθασσα Φιλῖνον* et id VI. 35: *ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέδρακον, ἦς δὲ γαλάνα,*[2]) cf. Hor. Ep. III. 1.

Quae cum ita sint, hoc idyllium c. a. 280. a. Chr. n. conscriptum esse credibile est, Alexandreae id conditum esse, quod Hempel. opinatur, nego, in insula Co compositum esse affirmo. Anni denique tempus, quo res huius idyllii aguntur, sine dubio est aestas, quae iam in exitu est, est tempus tranquilli ante tempestates autumnales, tempus malorum pirorum prunorum,[3]) antequam ea putrescunt, Thalysiorum[4]), quae in ver non cadunt, quas ob causas recte offenderunt in nomine *ἐαρινὴ* (*ὁδοιπορία*) iam Sanctamandus et al. Ea autem hieme, quae sequebatur, ni fallor, hoc carmen compositum est (cf. v. 66.).

---

[1]) I. 197. [2]) at cf. Mosch. (?) III. 72. [3]) cf. vv. 144. sqq. [4]) cf. Hom. Il. IX. 534.